DE LIBRO

VICTORIS VITENSIS

COMMENTATIO

DE LIBRO

VICTORIS VITENSIS

COMMENTATIO

DE
VICTORIS VITENSIS
LIBRO QUI INSCRIBITUR

HISTORIA PERSECUTIONIS AFRICANÆ PROVINCIÆ

HISTORICA ET PHILOLOGICA

COMMENTATIO

THESIM

FACULTATI LITTERARUM UNIVERSITATIS TOLOSANÆ

PROPONEBAT

F. FERRÈRE

IN COLLEGIO CASTRENSI HUMANIORUM LITTERARUM PROFESSOR,
OLIM TOLOSANÆ LITTERARUM FACULTATIS ALUMNUS

PARISIIS

APUD C. KLINCKSIECK, BIBLIOPOLAM

11, RUE DE LILLE, 11

1898

VIRO ERUDITISSIMO ET BENEVOLENTISSIMO

FERD. ANTOINE

IN UNIVERSITATE TOLOSANA

LATINARUM LITTERARUM PROFESSORI

HANC DISPUTATIONEM GRATO ANIMO DEDICO

PROŒMIUM

Alias (1) ostendi qualis fuerit Ecclesiæ africanæ status, cum, Augustino duce et auctore, paganos et hæreticos adeo feliciter impugnabat, ut nullus christianæ religionis hostis Africæ episcopis resistere posse videretur. Equidem præpotens erat Ecclesia illa, præpotentes et ejus ministri quibus aliquid petentibus proconsules qui Carthagine erant, et ipse imperator romanus submissam aurem præbebant. Litterati etiam homines nihil magis sibi honori esse ducebant, quam si Augustinus secum commercium per litteras aut de quibusdam quæstionibus ad philosophiam et ad theologiam spectantibus colloquium instituere vellet. Nec mirum, cum nulla esset in Africa magistratuum aliorumve imperatoris ministrorum auctoritas quæ episcoporum auctoritate prævaleret ; quam ii disciplina et mira inter se concordia,

(1) Vide : *La Situation religieuse de l'Afrique romaine depuis la fin du IVe siècle jusqu'à l'invasion des Vandales* (Paris, Alcan, 1897).

continuoque cum Romæ episcopis et aliis orbis terrarum christianæ religionis assertoribus commercio assecuti erant.

Hæc satis sint, ne postremas Ecclesiæ africanæ calamitates potissimum narraturus, in ejus felicitate et gloria adumbranda immorari videar.

Nullus exstitit populus, qui celerius quam Afri fortunam et libertatem amiserit. Apud historiarum scriptores videre est gentes regnaque primum debilitata et labefactata, denique, deficientibus paulatim viribus, corruentia. Dissimilis quidem Africæ ruina. Cum illa provincia « quieta et pacata (1) », ut ait Victor, luxu splendidissima, omnibus maritimis terrenisque deliciis abundabat, tum, futura nemine reformidante aut prospiciente, ex illo fortunæ fastigio, intra paucos dies, in omnia calamitatum et ærumnarum genera delapsa est ; cumque, devictis hæreticis non solum Ecclesiæ sed ipsi Africæ infensissimis, Ecclesia africana se postea ab omni intestino malo tutam fore sperabat, ecce subito occurrit ex Hispania Vandalus hostis, omnium Germanorum crudelissimus, Africamque in suam ditionem redigit, et per centum annos, ut ita dicam, pedibus proculcat. Tantis igitur vulneribus, ea tempestate, confossa est Ecclesia, ut diu, vel post expulsos a Belisario Vandalos, afflicta jacuerit, nihilque aliud, resurgens sub Byzantinorum dominatione, recuperaverit, quam pristini splendoris umbram.

(1) Vict. Vit., I, 1.

Istas Afrorum vices posteris tradidit Victor, vici Vitensis in Byzacena siti episcopus. Quanquam ejus historia cuivis uberrimam illam persecutionum materiam exploranti brevior et quasi in compendium redacta videtur, affirmare tamen ausim nullum illorum temporum, quinti et sexti sæculi, scriptorem, explicasse quot et quanta mala devictis gentibus Ariani intulerint. Quam crudeliter isti in Gallia se gesserint ex quibusdam Gregorii Turonensis et Sidonii Apollinaris locis carptim cognovimus ; peculiarem autem librum scripsit Victor Vitensis, ne ulla res a Vandalis perpetrata ignota remaneret. Itaque quemadmodum sancti Augustini scriptis Africæ gloria, sic Victoris libro clades in mentem revocatur. Non parvi igitur momenti est ille liber, seu rerum in Africa, quinto sæculo, gestarum, seu labentis romanæ linguæ historiam considerare velis. Itaque de fide Victori adhibenda, deque ejus latinitate ab illo ciceronianæ ætatis emendato et perpolito sermone tam diversa et in deterius labente, quantum in me fuit, disserui. Equidem fateor me in hanc indagationem libentissime incubuisse, quia Victoris Vitensis opusculum apud nostrates juvenes rerum antiquitus gestarum aut latini sermonis studiosos plane ignotum est ; quod tamen quondam magno in honore fuisse testantur satis multi codices editionesque, de quibus hic pauca dicere interest.

Septimo decimo sæculo, asservati sunt in bibliotheca colbertina tres codices manuscripti quos ex-

cussit Ruinartus, quorum unus hodie ut Parisinus (2015) designatur in nationali bibliotheca; decimo sæculo fuit scriptus. Cæteri paulo recentiores sunt. Alium in manibus habuit Ruinartus, in monasterio sancti Martini a Campis ordinis Cluniacensis asservatum et duodecimo sæculo exaratum. Omnes hi codices integram continebant Victoris historiam. Tres denique alii codices a Ruinarto citantur quibus titulus erat *Passio sancti Eugenii* et qui solum Hunerici facta referebant.

Nuper Victoris codices manuscriptos diligentissime Halmius et Petschenigius (1) perscrutati sunt, quos recensebo : 1° *Bambergensis** (sæc. IX) quem ut optimæ notæ Petschenigius laudat; 2° *Vindobonensis** (sæc. X). In his habetur etiam Pauli historia, ex quo colligendum est eos ex eodem archetypo provenisse, quorum librorum consensum non parvi pretii esse existimo ; 3° *Berolinensis* (sæc. XII) ; 4° *Bruxellensis* (sæc. X) ; 5° *Bernensis** (sæc. X, Pestchenig.; sæc. XI, Halm.) ; 6° *Admontensis** (in Styria) (sæc. XII) ; 7° *Abrincensis** (sæc. XII); 8° *Monacensis** (sæc. XII) ; 9° *Cremifanensis** (in Austria) (sæc. XII) ; 10° *Vindobonensis** (alter) (sæc. XI); 11° Parisinus*, olim Colbertinus (sæc. X) ; 12° his addendus est codex *Laudunensis* (2), qui solum *Notitiam civita-*

(1) Monumenta Germaniæ historica. Auct. antiquissimorum, t. III, pars prior. Vict. Vit. historia ; recensuit Car. Halm. — Corp. script. ecclesiasticarum, vol. VII. Vict. Vit. historia ex recensione Michaelis Petschenig. — Hoc signo* designantur codices quibus usus est Petschenigius.

(2) V. Catalogue des manuscrits des bibliothèques publiques des départements, t. I, p. 97.

tum et provinciarum et *Librum fidei* Hunerico oblatum habet.

Sexto decimo sæculo Victoris historia, sub Victoris *Uticensis* nomine, edita est ; sed sæculo sequenti, doctissimi viri Baluzius et Chiffletius, historiam vero auctori, Victori *patriæ Vitensis* episcopo restituerunt. Fuere plures hujus libri editiones quæ temporum ordine sunt recensendæ :

1° Editio princeps Parisina a Jano Parvo (Jehan Petit), sæculo XII impressa, qua apparatum criticum se onerasse Halmius fatetur (1).

2° Editio Beati Rhenani (Basileæ, anno 1535), falso ut editio princeps diu habita.

3° Editio Reinhardi Lorichii (Coloniæ Agrippinæ, 1537).

4° Altera ejusdem (Basileæ, 1541, apud Bartholomæum Westhemerum).

5° Editio Francisci Balduini, jurisconsulti qui in historiam Ecclesiæ africanæ illustrandam summam curam impendit. (Vid. Dupin. : *Monumenta vetera ad Donastitarum historiam pertinentia*, Parisiis, 1700, in-folio). Hæc Victoris Vitensis editio commentario exornata Parisiis in lucem prodiit, anno 1569.

6° Editio Margarinii Bignii (Margarin de la Bigne) in *Bibliotheca Patrum* (in-folio, Parisiis, 1576), quæ plures tomos habet et in plerisque bibliothecis publicis nunc exstat.

7° Editio Francisci Chiffletii (Divione, 1664).

(1) Opere citato (præfatio, IX).

8° Editio Theodorici Ruinarti in sua historia persecutionis vandalicæ (Parisiis, 1694).

9° Altera ejusdem (Venetiis, 1732). Ruinarti editionem iterum exhibuit Mignius, in suo Patrologiæ latinæ cursu completo (Parisiis, 1862, t. LVIII, col. 180, sq.).

Antequam illa Ruinarti editio in lucem prodiit, Victoris liber in Anglorum et Italorum linguam translatus est ; eum quoque in Gallicum sermonem verterunt Franciscus Belleforestus (François de Belleforest) (Parisiis, anno 1563), et Arnaldus Andyllius (Arnaud d'Andilly) (Parisiis, anno 1664).

Attamen, quanquam Ruinartus optime de viris rerum africanarum peritis meritus est, ejus editio mendis non vacat. Nimis enim indulsit consuetudini codicum manuscriptorum textum corrigendi, præsertim in locis ubi a grammaticorum regulis auctor recedere videbatur. In hoc vitium aliquoties incidit Halmius, non satis codicibus manuscriptis fisus. Propterea, accuratissimam Petschenigii editionem potissimum secutus sum quæ Victoris et Afrorum styli imaginem, mea quidem sententia, optime refert.

Ita Victoris texto in pristinum statum a doctissimis Germaniæ viris restituto, restabat ut de ipsius Victoris vandalicam persecutionem enarrantis laudibus et vitiis, deque ejus stylo disputatio, quantum res sineret, absoluta institueretur.

Hanc ego perficere aggressus sum. Itaque hunc

libellum in duas partes divisi. In priore, quæ mala Vandali Africæ christianis intulerint, qualis fides Victori illa narranti adhibenda sit, quam parum historiæ scribendæ regulis fuerit attentus, ostendere mihi proposui. In posteriore, quæ ad latinitatem pertinent latius explicavi, quia, ut Victoris styli certa notitia fieret, multa ex ejus et aliorum auctorum libris exempla excerpenda et annotanda erant. Quod si quidam priorem hujus libri partem jejunam, alteram autem fusiorem ducent, agnoscant velim minus quid Victor dicat quam quo modo id dicat interesse.

In priore parte, ut certius de Victoris auctoritate agerem, argumenta ex quinti sæculi historiarum scriptoribus hausi ; in posteriore, auctores cum bonæ tum lapsæ latinitatis citavi, qui, in quibusdam locis, eodem fere quo Victor dicendi genere usi sunt, quorum nomina, cum permulta sint, hic recensere supervacaneum mihi visum est.

Denique, multum mihi profuere doctissimorum nostræ ætatis grammaticorum libri, et imprimis Ferd. Antonii in Universitate tolosana latinarum litterarum professoris, cui me multum debere libentissime profiteor.

INDEX AUCTORUM

A. — *Auctores antiqui.*

SANCTUS AUGUSTINUS. — Epistolæ (Patrologia latina, t. XXXIII).

Codex Theodosianus (Edid. Hænel, Bonnæ, 1837).

Corpus inscript. lat., t. VIII (Berolini, 1881).

FERRANDUS. — Vita sancti Fulgentii (Patrol. lat., t. LXV, col. 118).

GENNADIUS MASSILIENSIS. — De Scriptoribus ecclesiasticis liber (Patr. lat., t. LVIII, col. 1060).

GREGORIUS TURONENSIS. — Excerpta ex Historia Francorum (Patrol. lat., t. LVIII, col. 770, sq.).

IDACIUS (Patr. lat., t. LXXIV, col. 675).

JUSTINIANUS imperator (Cod. Just., I).

MARCELLINUS comes. — Chronicon (Patr. lat., t. LI, col. 914).

OROSIUS. — Historia adversus Paganos (Patr. lat., t. XXXI, col. 666).

POSSIDIUS. — Vita sancti Augustini (Patr. lat., t. XXXII, col. 34).

PROCOPIUS. — De Bello vandalico (Corp. scriptorum byzantinorum, Bonnæ, 1830).
Sacrosancta concilia (Ph. Labbe, Parisiis, 1721).
THEODORETUS. — Epistolæ (Patr. græca, t. LXXX).
VICTOR TUNNUNENSIS. — Chronicon (Patr. lat., t. LXVIII, col. 935).

B. — *Historiarum scriptores.*

CHIFFLET. — Elucidationes in Victorem Vitensem (Patr. lat., t. LVIII, col. 127).
DAHN. — Die Kœnige der Germanen (die Vandalen) (Munich., 1861).
JUNG. — Landschaften des rœmischen Reiches (Insprück, 1881).
MARCUS. — Histoire des Vandales (Parisiis, 1836).
PŒTZSCH. — Victor von Vita und die Kirchenverfolgung in Vandalenreiche (Dœbeln, 1887).
RÉVILLOUT. — De l'Arianisme des peuples germaniques (Parisiis, 1850).
RUINART. — Historia persecutionis vandalicæ (Patr. lat., t. LVIII, col. 359).

C. — *Grammatici.*

ANTOINE.—Syntaxe latine (Parisiis, Vievieg, 1884).
— De casuum syntaxi vergiliana (Parisiis, Klinsieck, 1882).
— Observations sur les exercices de traduction du français en latin (Parisiis, Klinsieck, 1881).

Appell. — De genere neutro intereunte in latina lingua (Erlangen, 1883).

Berger. — Lateinische stylistick (Parisiis, Klinsieck, 1884).

G. Boissier. — Revue de Philologie (1882).

Chassang. — Grammaire latine (Parisiis, 1880).

Diez. — Grammaire des langues romanes.

Gœlzer. — Etude de la latinité de saint Jérôme (Parisiis, 1884).

— Grammaticæ observationes in Sulpicium Severum (Parisiis, 1884).

Halm. — Victoris Vitensis editio (Monumenta Germaniæ. Auctores antiquissimi, III, Berolini, 1879).

Jahrbücher für class. Philologie, 1882.

Petschenig. — Victoris Vitensis editio (Corp. script. ecclesiasticarum, vol. VII; Vindobonæ, 1881).

O. Riemann. — Etudes sur la langue et la grammaire de Tite-Live (Parisiis, 1879).

A. Régnier. — Latinité des Sermons de saint Augustin (Parisiis, 1886).

S. Reinach. — Grammaire latine (Parisiis, 1885).

K. Sittl. — Die lokalen Verschiedenheiten der lateinischen Sprache (Erlangen, 1882).

INDEX NOTARUM

QUÆ AD CODICES MANUSCRIPTOS ET EDITIONES PERTINENT

a) B = cod. Bambergensis.
V = cod. Vindobonensis (sæc. x).
C = cod. Cremifanensis.
W = cod. Vindobonensis (sæc. xi).
M = cod. Monacensis.
s = cod. Admontensis.
a = cod. Abrincensis.
P = cod. Parisinus.

b) H = Halmii editio.
Petsch. = Petschenigii editio.
Ru = Ruinarti editio.

PARS PRIOR

QUALIS HISTORIARUM SCRIPTOR VICTOR EXSTITERIT

CAPUT PRIMUM

QUÆ MALA AFRICÆ CHRISTIANIS INTULERINT GENSERICUS ET HUNERICUS, NARRANTE VICTORE VITENSI

Neminem eorum qui res gestas Vandalorum vel cursim legerunt, ignorare credo quo eventu pulsi, Africam, post vexatas Gallias et Hispaniam, illi petiverint. Longum quidem et supervacuum esset simultates quas inter se Aetius et Bonifacius egerunt, exponere, et crimina quibus apud Placidiam dux comitem insecutus est ; post quæ, sua dignitate spoliatus et Romam revocatus Bonifacius, parere noluit, atque ut adversus Aetium et Placidiam sese tueretur, ad Vandalorum auxilium spectans, eos in Africam arcessivit.

Vix Africæ littore potiti, Barbari nihil aliud in animo habuere quam ut omnem regionem depopularentur. Hominibus non magis pepercere quam bestiis, atque in agros late vastandos ita irruerunt ut

nihil usquam ad edendum incolæ possent invenire. Privatorum quoque domos, ædes ad Dei cultum reservatas, monasteria cœmeteriaque igne ferroque subvertebant, presbyteros et præsertim episcopos et nobilissimum quemque, suadente divitiarum siti, exagitabant, ut sibi si quid auri haberent, condonarent. Senes violabant, infantesque a materno sinu raptos in terram projiciebant. Quis denique possit dicere quo illorum crudelitas processerit? Quæ non poterant expugnare oppida, congestis necatæ multitudinis cadaveribus circumdabant, ut oppidi incolæ peste pariter et fame interirent (1).

Mox capta est a Genserico Hipporegiorum civitas (430) atque, post novem annos ipsa Carthago, locupletissimis provinciis, Byzacena et Zeugitana et parte Numidiæ, Vandalorum imperio adjectis. Tunc in civitatum primates et in episcopos, ut antea, dux vandalus iram exercuit, ita ut difficile esset enarrare quot senatores in servitutem redegerit aut in exsilium miserit. Satis sit de Quodvultdeo, Carthaginis episcopo, et de plurimis illius urbis presbyteris quos de sedibus suis et domibus expulit, mentionem facere. Ædes sacras quoque sibi arrogavit, et, ne quid usquam christianæ religionis vestigium oculis occurreret, honores qui solent in publico mortuis reddi, vel funebres cantus, vetuit. Immo ut episcopis ad populum in Ecclesia loquentibus silentium imponeret, eorum quibusdam crimini dedit quod

(1) Vict. Vitensi, I, 1-12.

de Pharaone aut Holopherne verba fecissent, quasi, ista nomina in medium proferendo, Gensericum ipsum voluissent designare. Ita per homines quid facerent dicerentve christiani acerrime explorantes, Vandalorum regi dabatur facultas episcopos persequendi et in exsilium mittendi; in quorum locum nullus alius poterat suffici. Sic, deficientibus paulatim ministris, viam religionis exstinguendæ invenisse putabat (1).

Attamen, inter tantas rerum angustias, christianis spes inopinata libertatis illuxit. Anno ante captam a Vandalis Romam (455), Gensericus, exorante Valentiniano imperatore, eis licentiam dedit novi episcopi in sedem Carthaginis restituendi. Tum electus est Deogratias, vir quo nemo reperiri potuisset in sublevandis hominum calamitatibus præstantior. Qui, cum, Roma capta et direpta, multi Africæ littoribus navem appellentes, statim Vandalorum et Maurorum mancipia fierent, captivos redemit, data pro eorum libertate ingenti pecunia aut vasis aureis. Tanta erat illorum qui Italiam fugiebant multitudo, ut eos vix privatorum domus possent continere; alios fame, alios morbo laborantes (quorum pars maxima erat) in basilicis Carthaginis episcopus excepit, eosque, juvante medicorum industria, assidue paterno affectu et cura refovit.

Quæ videntes Ariani et ægre ferentes, timentesque ne pervulgata illa memorabilia Deogratias facinora

(1) Vict. Vit., I, 12-24.

ei Romanorum favorem conciliarent, sibi autem parerent odium, insidias episcopo machinati sunt ; frustra quidem, nam paulo post ab eorum manibus naturali morte evolavit (1).

Eo tempore, quasi ab integro renovatum est adversus christianos bellum ; edictum fuit a Genserico ut in proconsulari et zeugitana provincia nullus episcopus in locum mortui succederet. Tunc quoque multi crudeles pœnas passi sunt, multique apud Mauros relegati qui dominos suos idolorum cultui addictos, in fidem christianam pertraxerunt ; de quo certior factus a regulo Maurorum Vandalus magis quam antea in christianos exarsit, præsertim in eos qui in aula ministerio aliquo fungebantur ; in quorum numero erat Maxima quædam virgo quæ, cum eam Gensericus jussisset cuidam Martiniano connubio jungi, parere regis voluntati noluit. Non minorem animi constantiam præbuerunt Armogastes proconsul, Mascula archimimus, et Saturus qui dignitates a rege promissas pœnis pro fide tolerandis posthabuit.

Ut ita se gereret Gensericus impellebatur a presbyteris arianis sperantibus se, si christianos munere aliquo fungentes a palatio submovissent, animum principis occupaturos, et omnia, nemine deinceps obstante, ad propagandam Arianorum fidem facile facturos (2).

(1) Hæc ingenuis verbis nec gratia carentibus memorat Victor : « Dominus passerem suum de manibus accipitrum voluit liberare » (I, 27).
(2) Vict. Vit., I, 24-51.

Mortuus est Gensericus anno 477 ; regnumque obtinuit major ejus filius, Hunericus nomine. Iste, patris exemplum secutus qui in fine vitæ, Ecclesiam Carthaginis reserari jusserat, se ita christianæ religionis amantem haberi voluit, ut Manichæos diligentissime inquiri, et exsilio aut morte mulctari imperaret, presbyteris autem Carthaginis permitteret ut episcopum quem abhinc XXIII annis non habebant, eligerent ; ea tamen lege ut Ariani, in Oriente, eadem qua, in Africa, catholici libertate uterentur. Quam legem cum presbyteri minime tolerabilem existimarent, etsi eam rex minitabundus conaretur imponere, rejecta episcopi eligendi facultate, Carthaginis Ecclesiam gubernanti Deo permittere maluerunt. Occasionem autem, propositæ condicionis imprudens populus arripuit episcopi habendi, neque ante a clamoribus temperavit quam Eugenius episcopus crearetur. Qui cum eisdem quibus antecessor Deogratias virtutibus emineret, humanitate et erga omnes liberalitate, Arianorum odio obnoxius, dolis calumniisque circumventus est. Mox enim rex, suadentibus Arianis, ei imperavit ne in episcopali cathedra sederet, neque populum exhortaretur, *neque Vandalum quempiam sive virum, sive mulierem Ecclesiam intrare sineret*. Cum vero id responsum ab Eugenio tulisset : « *Ecclesiam patere omnibus* », rex, tortoribus appositis, indigno supplicio affici jussit quicumque ad Ecclesiam accederet (1).

(1) Vict. Vit., II, 1-12.

Posthac inauditæ adhuc crudelitatis exempla editurus erat Hunericus. In suos primo sævire cœpit, nimio regni amore laborans, timensque ne, posthabitis filiis suis, fratris filii, ut destinaverat Gensericus, in regnum sibi succederent. Quamobrem non solum Theodorici fratris uxorem necari, ipsumque Theodoricum in exsilium mitti jussit, sed etiam presbyteros arianos Jocundumque patriarcham morti dedit, quia eos fratris partibus favere suspicabatur (1).

Jam minus Arianorum primores reformidans, suamque religionem per vim imponere studens, omnem furorem in catholicos episcopos convertit ; quos quacumque ratione vexaturus, calumniis adversus eos usus est, et iis quidem atrocibus supra quam enarrari potest. Virgines enim Deo consecratas, vestibus omnino destitutas atque in publico expositas, urgentibus suppliciis clamare cogebat se cum episcopis et clericis concubuisse. Post hæc irrita facinora, paulatim in catholicos tantum exarsit, ut subito, 4,976 christianos, inter quos erant complures episcopi et presbyteri, e patria exterminaverit et omnes in duabus civitatibus (2) congregatos Maurorum arbitrio permiserit. Hi primo, jubente Vandalorum rege, catholicos in angustissimo et teterrimo loco collocaverunt, unde exire, vel si laxandus erat venter, nemo poterat ; et ita brevi factum est, ut miseri

(1) Vict. Vit., II, 12-17.
(2) Siccæ-Veneriæ (= hodie El-Kef) et Laribus.

in luto stercoris et urinæ mergerentur. Mox alio migrare jussi et longo itinere defatigati senes, cum, viribus omnino destituti, passim per vias caderent, ligatis pedibus, velut cadavera trahebantur, atque eorum multi lacerato dorso aut contrito capite, fœdum in modum peribant. Illis tot episcoporum et presbyterorum suppliciis adeo Afrorum animi commoti sunt, ut eos per loca deserta et invia, per montes secuta fuerit innumera, quam vix semitæ poterant capere, multitudo virorum et mulierum et puerorum quos omnes diceres filios parentum mortem aut exsilium deplorantes (1).

Haud multo post, Hunericus omnibus Africæ episcopis edixit ut sese Carthaginem congregarent ad disceptandum de vera fide cum Arianis. Quod edictum, adstante Zenonis imperatoris legato, in ecclesia Carthaginis ab Eugenio episcopo lectum est. Cum episcopus speciem ad ineundam novam persecutionem a rege excogitatam esse sentiret, respondit sese eis quæ juberet rex velle obtemperare ; sed necessarium sibi videri, quia de catholica fide, de communi nempe catholicorum causa res esset, ut etiam ex omnibus regionibus in quibus Christi religio coleretur, episcopi in Africam convenirent. Talia petenti Eugenio dicitur Hunericus respondisse : « *Subde mihi orbem terrarum et facio quod dicis.* » Deinde, ut majorem in disceptando copiam et fiduciam Ariani haberent, cœpit, ante diem collationis, eruditissi-

(1) Vict. Vit., II, 17-39.

mum quemque episcopum catholicum variis suppliciis excruciare aut in exsilium mittere, persuasum habens se ita agendo cæteris timorem incussurum (1).

Aliter tamen se res habuit. Nam cum in loco ad disputandum constituto, Cyrila, præcipuus Arianorum episcopus, excelsissimam sedem sibi elegisset, cupiens in hoc conventu primas partes tenere, catholici statim hanc ei superbiam exprobraverunt; quod etiam atque etiam fecerunt cum Cyrila « patriarchæ » nomen usurpavit. Inde exortus est tumultus et vocum confusio ; quæ ut sedaret, continuo Hunerici minister jussit catholicos qui aderant centum fustibus verberari. Nihilominus episcopi tuendæ fidei semper intenti, Cyrilam ad exponenda quæ de fide sentiret, invitaverunt. Sed recusavit Arianus dicens se « *latine loqui nescire* ».

Frustra igitur spem habuerant catholici justis armis adversarios impugnandi. Hi enim, nondum perlecto « fidei libro (2) », clamitare cœperunt et vociferationibus impedire quominus de vera fide cujus per-

(1) Vict. Vit., II, 39-45.

(2) Legitur ut secunda pars Victoris libri cum titulo : « liber fidei catholicæ », qui scriptus est ab Eugenio Carthaginiensi, ut fidem faciunt hæc Gennadii Massiliensis verba : Eugenius, Carthaginis Africæ civitatis episcopus et confessor publicus, admonitus ab Hunerico, Vandalorum rege, catholicæ fidei expositionem et maxime verbi *homousii* proprietatem disserere, cum consensu omnium Africæ, Mauritaniæ et Sardiniæ atque Corsicæ episcoporum qui in catholica permanserant fide, *composuit librum fidei*, non solum sanctarum Scripturarum sed et Patrum testimoniis communitum, et per collegas confessionis suæ porrexit. (*De Scriptoribus ecclesiasticis liber*, cap. 97. — *Patrol. lat.*, t. LVIII, col. 1116, sq.). — Gennadius vixit, vergente ad finem quinto sæculo.

pendendæ causa convenerant, aliquid examinaretur. Quinimo christianos tumultus fuisse auctores regi insinuaverunt qui novam et opportunam eos persequendi occasionem nactus, decretum adversus eos promulgavit (1). Declarabat rex, cum catholici seditioni tantummodo intenti, colloquium cum episcopis arianis repudiavissent, sibi necessarium visum esse in eos retorquere leges quas olim romani imperatores a catholicis decepti et impulsi, contra hæreticos tulerant. Itaque « *omousianos* » (2), ecclesiis, sacris libris et facultate divina sacrificia celebrandi et baptismatis conferendi privari jubebat, addens nemini eorum in posterum datam iri licentiam testandi, aut quam jurisconsulti vocant donationem, aut hæreditatem accipiendi. Quod si quis quovis modo catholicorum erroribus faveret, is, pro suæ dignitatis gradu pecunia mulctaretur. Denique, Arianis attribui præscribebat ædificia ad cultum reservata eorumque bona, et multa alia quibus lex catholicos spoliari decreverat. Statim omnium oculis apparuit quid rex avidus et crudelis, cum episcopos congregaret, facere sibi proposuisset. Nam cum adhuc illi Carthagine versarentur, jussit eos Hunericus e domibus in quibus hospitio excepti erant, depelli, et simul eis quæ secum portabant, sese vestiendi aut vitæ sustentandæ causa, denudari ; ita episcopos

(1) Hoc decretum jam ab Honorio imperatore contra Donatistas et alios hæreticos erat promulgatum. (Vide *Cod. Theodosianum*, XVI, v, 21, 39, 40, 46, 52. — Vict. Vit., III, 3-15.)

(2) Sic appellabantur qui credebant eamdem substantiam Patri et Filio esse.

cernere erat « *nudo sub aere* », ut ait Victor, circum urbis muros palantes, nullam ad proprias domos redeundi potestatem habentes, quas alioquin sentiebant Arianos cum ecclesiis sibi vindicasse. Quo igitur confugere, cujusnam auxilium invocare poterant? Tentaverunt dolentes crudelem Hunericum ad misericordiam impellere; repulit eos Hunericus, et subito immissorum in eos equorum pedibus jussit proculcari (1).

Eodem tempore, non solum vi sed etiam fraude episcopos petivit rex Vandalorum. Ab eis enim, cum in Æde Memoriæ Carthagine essent congregati, petivit ut jurarent se ipsius filii partibus fauturos, nec deinceps per epistolas cum ullo regionum transmarinarum incola communicaturos. Juraverunt quidam; cæteri se nolle jurare responderunt. Quos omnes pariter Hunericus in Corsicam insulam relegari jussit, alios quia contra evangelii præceptum juravissent, alios quia non paruissent regis voluntati.

Post hæc, Victor enarrat quæ viri aut feminæ perpessi sunt. Imprimis indomitam nobilis mulieris, Dyonisæ, virtutem commemorat, quæ, quamvis nuda ante omnium oculos exponeretur, et crudelissime vexaretur, mortem libens oppetivit. Sic periere altera matrona, Victoria nomine, Victorianus proconsul et duo fratres Aquæ Regiæ. In quibusdam civitatibus incolæ incitati ut Arianorum cultum amplec-

(1) Vict. Vit., III, 15-17.

terentur, domos suas deseruerunt. Tipasæ incolæ in Hispaniam fere omnes migravere, exceptis paucissimis quibus navigandi facultas non erat. Quos cum arianus illius civitatis episcopus non valuisset ad hæresim pellicere, de hac re certiorem fecit Hunericum qui eorum linguas et manus abscidi jussit; eos tamen sine difficultate locutos esse Victor affirmat (1).

Non minus, fateor, erga suos ab Arianorum cultu abhorrentes crudelem Hunericus se præbuit. Hos manibus, alios oculis privavit, multos denique inhonestis vulneribus affecit. Jam inexpleto furore impellebatur ut in regni sui finibus nomen catholicorum exstirparet et deleret. Quod manifestum patuit, cum Uranius, Zenonis legatus, Africam venit, ut eorum causam susciperet. Hanc Hunericus occasionem arripiens demonstrandi omnibus se neminem jam reformidare, christianos, in plateis, pœnis affecit, vidente legato et inter tortores incedente, quoties e palatio regis in publicum prodibat. Quid quod etiam monachi in monasterio suo latentes et ab omni hominum societate remoti deprehensi sunt et obtruncati? Suis enim popularibus et præsertim Arianorum episcopis et presbyteris, Hunericus curam adversarios persequendi et quolibet modo vexandi delegaverat. Hanc provinciam sibi arrogavit Antonius quidam in civitate Tamallumensi episcopus, vir fœda crudelitate. Ei in custodiam traditus

(1) Vict. Vit., III, 17-31.

Eugenius carthaginiensis qui exsulabat, acerbissimas pœnas, quamvis, senex, gravi morbo laboraret, nemine consolante, pertulit. Alios qui ei permittebantur, Antonius summa vi tentabat ut veram Christi religionem repudiarent. Injectis catenis, postquam eos suppliciis exanimaverat, clauso ore, corpus perfundebat aqua, ut quasi iterum baptizatos, Arianos se esse profiterentur, frustra credens, ut ait Victor, se posse *cum corpore ligare conscientiam*. Multi alii istiusmodi baptisma subierunt. A Vandalis vias perscrutantibus arrepti, ad episcopos arianos pertrahebantur; alios, in suis lectulis dormientes, fractis portis, presbyteri, sceleratorum hominum manu stipati, petebant. His omnibus arianum baptisma imponebatur. Et ista non solum in villis et castellis, sed etiam Carthagine agebantur, tanto furore ut christianorum plurimi remotissima loca vel speluncas quærerent, potius habentes fame aut frigore consumi quam suæ fidei jura violare.

Quid miserius excogitari potest ? Tot malorum spectaculo impulsus, propriam vitam pro nihilo ducens, Habetdeum episcopus, Tamalleni exsulans, Carthaginem petivit, ut regis animum molliret (1); nihil tamen profecit.

Jam nulla erat Ecclesia africana, cui tamen non superstes fuit, qui eam maxime vexaverat, Hunericus.

(1) Vict. Vit., III, 53.

CAPUT II

DE VICTORIS VITENSIS AUCTORITATE

Sunt qui tantam Vandalorum crudelitatem vix sibi effingentes, Victori eam adumbranti diffidant. Disseram igitur in hoc capitulo, de iis rebus quæ Victorem Vitensem non levem auctorem faciunt, et demonstrare conabor eum in Africa natum et viventem et earum rerum quas narravit testem, vera dicere potuisse, et ea ad historiæ fidem enarrare voluisse.

§ I. — **De vita Victoris.**

Quo anno natus, a quibus parentibus oriundus fuerit Victor, parum compertum. Tantummodo ex uno ejus historiæ loco nobis conjicere licet eum in quadam Byzacenæ urbe natum esse. Nam postquam de Vandalorum irruptione mentionem fecit, trucidatos quosdam episcopos memorans, hisce verbis peculiariter de uno illorum loquitur : « Tunc enim et *nostræ* civitatis venerabilis Papinianus antistes candentis ferri laminis toto adustus est corpore (1). » Sunt qui credant Victorem hoc verbo *nostræ* Vitam, ubi fuit episcopus, designavisse. Sed constat hunc locum non *civitatem* fuisse, quippe qui in nullis aliis

(1) Vict. Vit., I, 3.

monumentis quam in Notitia episcopatuum Africæ legatur, sed potius *vicum,* aut *regionem,* vel *fundum.* Neminem enim fallit multos episcopos in saltibus et fundis Africæ sedes habuisse, quarum non tabulæ geographicæ, sed solum notitiæ ecclesiasticæ mentionem faciunt; quod evenit de Victoris episcopi sede quæ « *patria Vitensis* » in quibusdam codicibus manuscriptis appellatur, quo appellationis genere quædam sedes in conciliorum monumentis designantur. Non magis certum est Victorem de Utica loqui voluisse, ut crediderunt olim illi quorum studio primum Victoris historia in lucem edita est. Hi enim rebantur Victorem episcopalem Uticæ, illustris urbis, sedem occupasse : quam opinionem una voce rejecerunt qui, post eos, in Notitia Africæ proconsularis (1) legerunt nomen Florentini Uticensis in Corsica exsulantis tum cum historiam scribebat Victor; quo tempore in locum relegati episcopi minime suffectus est, quandoquidem sub Genserici et Hunerici persecutione expulso episcopo nemo succedebat. Ergo Victor in quadam urbe Byzacenæ minus nota natus est; quod colligere est ex actis concilii Teleptensis (2) cui adfuit Papinius quidam provinciæ Byzacenæ episcopus, quem haud alium esse atque illum quem in operis initio Victor nominavit, verisimilius videtur.

Non difficile erit demonstrare Victorem maximam

(1) *Notitia Provinciarum* (Proconsularis, nº 22).
(2) Anno 418.

vitæ suæ partem Carthagine degisse, et primum, in basilica Fausti, presbyteri officio functum fuisse (1). In illa urbe erat cum eam Gensericus, capto magno optimatum numero, in suam potestatem redegit, quod nobis manifestum fit hisce verbis : « Multos episcopos et laicos, claros atque honoratos viros, *servos esse novimus* Vandalorum (2) ». Carthagine quoque Victor versabatur, cum in exsilium episcopus Quodvultdeus et multi cum eo presbyteri pulsi sunt, cumque paulo post solitæ in mortuorum honorem solemnitates vetitæ fuere (3). Tunc temporis multi provinciæ proconsularis et Byzacenæ episcopi in exsilium acti sunt quos novit et vidit, quorum etiam nomina Victor tradidit (4) : « Plurimos sacerdotum tunc novimus relegatos, sicut Urbanum Girbensem, Crescentem metropolitanum aquitanicæ civitatis qui CXX præerat episcopis (5). »

Multa alia quæ sub Genserico gesta sunt, Victor vidit, atque mulierum et virorum, quos rex Vandalorum persequebatur, consortio usus est. Etenim ut aliqua exempla proferam, Maximam illam novit quæ Martiniano noluit conjugio jungi, cumque custode carceris in quo virgo includebatur, de iis quæ passa erat, colloquium habuit (6). Aliorum quoque pœnas vidit et consolando levavit. Sic, Valerianum Abensæ

(1) Vict. Vit., III, 34.
(2) Ibid., I, 12.
(3) Ibid., I, 16.
(4) Ibid., I, 23.
(5) Ibid., I, 23.
(6) Ibid., I, 34.

civitatis episcopum e sede sua pulsum et omni destitutum auxilio vidit et salutavit. Vidit quoque Carthagine Armogastis proconsulis et Saturi supplicium (1).

Hæc sub Genserico agebantur. Illarum autem rerum quæ sub Hunerico evenerunt, testem fuisse Victorem magis ac magis affirmari potest. Ea enim fusius explanavit, sive quia crudeliora fuerunt, sive quia melius, utpote recentiora, memoria retinuit.

Ineunte Hunerici regno, Victorem inter Carthaginis presbyteros, in episcopali cathedra conspicuum locum obtinuisse probabile est. Etenim ibi erat cum regis notarius, Vitarit nomine, illud edictum sacerdotibus communicavit, quo facultas concedebatur novi episcopi eligendi, ea tamen lege ut Arianis quamlibet regionem incolentibus suæ religionis observandæ libertas esset. Tum seipsum notario respondisse Victor asseverat et illam repudiavisse facultatem. Quis igitur contendat aliquam earum rerum quæ eo tempore factæ sunt Carthagine, Victorem fugere potuisse? Vidit vexatos a tortoribus, ante portas ecclesiæ Carthaginis, christianos (2); vidit aut plane comperta habuit scelera quæ in suos Hunericus perpetravit (3). Quid dicam de tot exsiliis quæ Victor commemorat? Illos 4,976 episcopos et presbyteros, de quibus jam locutus sum, secutus est, magnam-

(1) Vict. Vit., I, 50.
(2) Ibid., II, 9-12.
(3) Ibid., II, 12-17.

que operam dedit ut in itinere, eorum ærumnas levaret, innumera comitante multitudine. Exsulantes in carcere consolabatur, postquam, corruptis pecunia custodibus, intrandi facultatem sibi fecerat. Paulo post Carthaginem redux, in ecclesia erat cum lectum est, præsente Zenonis imperatoris legato, Hunerici edictum quo omnes Africæ episcopos ab exsilio revocatos Carthaginem rex arcessebat. Quanto tunc dolore Victor fuerit correptus expressis verbis indicat : « Cognoscentes, inquit, *qui aderamus,* simulque legentes, contritum est extemplo cor nostrum et contenebrati sunt oculi nostri (1). »

Credunt Victorem illi collationi non adfuisse (2). Quæ opinio mihi retractanda est, quanquam facile suggeritur hisce Notitiæ verbis : *Victor Vitensis non occurrit* (3) quibus vandalicæ persecutionis scriptor designari videtur. Attamen, Halmii indicem percurrenti occurrunt multi Africæ episcopi, Victoris nomine nuncupati. Probabile est Victorem nostrum in locum episcopi de quo mentio fit in Notitia, incerto tempore, successisse ; sed recte dici non potest, si Victoris scripta attente sequaris, eum episcopum fuisse tempore quo Africæ episcopi Carthaginem ad collationem convenerunt. In ecclesia Carthaginis erat, ut jam dixi, cum ministro Hunerici edictum legenti respondit, suo et cæterorum presbyterorum

(1) Vict. Vit., II, 40.
(2) Pœstsch. : Victor von Vita und die Kirchenverfolgung in Vandalenreiche (p. 3).
(3) *Notitia Byzacenæ* (nº 44).

nomine, quod erat officium non alieno episcopo sed diacono absentis episcopi vicem agenti assignatum. Quis vero contendat eum episcopatus dignitatem adeptum fuisse hoc anni intervallo quod inter promulgatum edictum et collationem intercessit ? Quis etiam nescit ea tempestate ita persecutionem recruduisse et tot episcopos in exsilium pulsos esse ut nusquam, sævientibus Vandalis, potestas permitteretur novos episcopos creandi ? Hoc in promptu erat primis Hunerici regni temporibus, neque a vero alienum videtur credere, tum Africæ Ecclesiam, refectis pacis beneficio viribus, episcoporum numero iterum auctam fuisse. Sed, post collationem carthaginiensem quantum in deterius christianorum res delapsæ erant !

Ergo cum illa collatio habita est, carthaginiensis ecclesiæ presbyter aut diaconus Victor (1) erat. Fateor quidem eum, in libri loco ubi de congregatorum episcoporum rebus gestis agitur, in scenam non se induxisse. Sed in alia narrationis parte quæ « fidei professionem » sequitur, paulo clarius de se ipso verba facit, vocabulum *nos* sœpius usurpans (2), qua loquendi ratione non usus esset, si a collatione abfuisset.

Haud minus certum est Victorem Carthagine degisse, tempore quo multi Africæ episcopi et presbyterorum maxima pars ab illa urbe exsulabant. Nam

(1) Ut diaconus ecclesiæ carthaginiensis, credo, collationi adfuit.
(2) Vict. Vit., III, 1.

singula quæque narrat eorum quæ, eadem tempestate, cum ex laicorum, tum ex clericorum numero, christiani, ab iterato baptismate abhorrentes, passi sunt.

Sed fortasse dicat aliquis Victorem collationis tempore fugisse, deinde rediisse Carthaginem. Num credendum est eum metu pulsum fugisse? Haud ita profecto vituperandus est Victor, quippe qui vitæ aut libertatis periculo, antea exsulantibus apud Mauros episcopis obviam iverit, eosque per deserta et invia loca fuerit comitatus. Immo quis non videt collationem reformidare non potuisse virum illum qui jam Hunerici iram non reformidaverit, atque coram multitudine, astute oblatam eligendi episcopi licentiam rejecerit ? Majora denique virtutis exempla usque ad id temporis Victor ediderat, quam ut potuisset, in illo tanto Ecclesiæ africanæ periculo, suo loco cedere.

§ II. — Quo tempore et quo in loco Victor historiam scripserit.

Nunc videndum est quo tempore et quo in loco Victor suum librum scripserit. In solvenda quidem harum quæstionum priore, non multum, credo, elaborandum erit. Constat enim inter recentiores africanarum rerum scriptores, Vandalos Africam circiter annum 429 invasisse. Itaque Victorem anno 489 suam historiam si non scripsisse, saltem in lucem produxisse, certum est. Primum igitur refel-

lenda est Pœtsch opinio qui contendit eum nonnisi anno 486, historiam scribere potuisse, quia de Eugenio Carthaginiensi ab exsilio anno 487 revocato, mentionem non fecerit (1). Nihil inde colligendum est cum Victoris historia postremis Hunerici regni rebus terminetur. Aut in vivis erat rex, cum persecutionem narrabat Victor, aut eum obiisse non adhuc compertum habebat ; nam illius mortem Victor in fine libri breviter et sine ulla compositionis lege, atque ex improviso, velut rem perfecto jam operi contexendam commemorat ; ita ut vel credere mihi libuerit brevem illam mortis Hunerici mentionem non fuisse Victoris sed librarii opus : quo magis, si certum esset, probaretur Victorem, exacto fere anno 484, librum suum scripsisse, eumdem vero post quatuor aut quinque annos edidisse, mutatis facillime primis libri verbis, ne circa temporum rationem minus diligens videretur. Quod si ulterius composuisset librum, nullam video causam cur de rebus gestis Guntamundi tacuisset.

Restat nunc ut videam quo in loco Victor historiam persecutionis scripserit, et ideo primum exponam quæ de hac re alii senserint.

Chiffletius opinatur (2) Victorem Uranio Zenonis legato, cum hic rediret Constantinopolim, se junxisse et postea illam urbem incoluisse ; quam opi-

(1) Pœtsch (*opere citato*), p. 3.
(2) *Patrol. lat.*, t. LVIII, col. 132.

nionem confirmat his Victoris verbis : « Si quis incredulus esse voluerit, pergat nunc Constantinopolim », et sequentibus quæ leguntur in Notitia : « *Hic relegati* (1)... » His adjecit Victorem in Africa, investigatis quoquoversus saltibus et campis, non diu in Africa latere potuisse.

In Epiro autem exsulasse Victorem putat Cotelerius (2), idque colligit ex operis prologo ubi legitur nomen cujusdam Diadochi in Epiro episcopi, quo suadente, si Cotelerio credas, Victor historiam composuit. Alii denique opinantur Victorem Carthagine, alii in remotissimo loco Africæ librum scripsisse.

De his opinionibus pauca disseram oportet, primum maximi momenti faciens hæc verba quæ leguntur in Notitia : *Hic relegati*. Num Victor Constantinopolim designare voluit ? Verum, cum illam urbem in sua ditione non teneret Hunericus, quomodo jus esset ei illuc episcopos relegandi ? Quod quidem jus vel si habuisset, non commisisset ut urbem suo imperio inimicissimam episcopis impleret Afrorum dolores et cruciatus apud Zenonem enarrantibus. Suspecta enim et sibi funesta reges Vandalorum habebant christianorum ex Africa venientium commercia cum iis qui Romæ et Constantinopoli erant ; ibi enim contra parum stabilitatam eorum potentiam odia alere poterant, et imperatores christianos impellere ad retorquendas in Arianos

(1) *Notitia provinciarum* (in fine).
(2) *Patr. lat.*, t. LVIII, col. 147.

suæ potestati subjectos ejusmodi vexationes quas jampridem christiani patiebantur. Itaque, de multis episcopis et presbyteris in Corsicam et in Sardiniam, et præsertim apud Mauros in exsilium pulsis mentio est in Victoris libro et in Notitia ; at non de iis qui Constantinopoli elegerant sedem, quorum tamen magnus numerus erat. Nam cum nulla ratione possent grassantibus undique Arianis resistere, multi naturali quodam instinctu pulsi, in alias urbes fugiebant, ubi, et imprimis Constantinopoli, velut hominum miserrimi, benignissimo hospitio excipiebantur. Ecquis igitur illos *relegatos* dicat?

Quod si Victor Constantinopoli degisset, nescio cur quovis modo lectori non denuntiasset se in hac urbe exsulasse, quod nullis verbis est suspicandum. Immo, ampliorem ea quam scripsit historiam et æquabilius ordinatam, utpote securus ibi et sui compos, posteris reliquisset.

Ac ne quis dicat, ut Chiffletius, Victorem his verbis « *pergat nunc Constantinopolim* » locutum esse, perinde ac si diceret ut aliquis in ea urbe residens, *veniat*, etc... Nam anceps et dubia est apud Victorem, illius verbi « *pergere* » significatio, quod statim videbis si ejus scripta perlegas.

Denique, etiamsi hæc verba vim habere viderentur ad firmandam Chiffletii opinionem, aliis verbis in opinionem prorsus contrariam traherer. Nam in fine libri ubi de novissimis Hunerici, haud multo post morituri, persecutionibus verba facit, Victor affirmat se quosdam christianos eo tempore vexatos,

ut jam demonstravi, Carthagine vidisse. Necesse est igitur dicere Victorem aut nunquam Constantinopolim migravisse (quod ego credo), aut ex ea urbe in Africam rediisse sub Hunerico ; quod tunc temporis nulli licere eorum qui fugerent vel exsilio pellerentur contendo.

Haud magis vero consentanea mihi videtur Cotelerii sententia quam quibusdam prologi locis confirmare nisus est. In hoc enim prologo nihil præterquam obscura verba, nihil unde argumentum inferre possis, nulla rerum series : ita ut suspicandum sit hanc libri partem aut Victori non esse attribuendam (1), aut a librariis amputatam fuisse et mutatam. Imprimis mihi incerta ibi videtur cujusdam Diadochi episcopi mentio, qui in manuscriptis *Diaconus, Diacodus*, etc., legitur (2). Sed sincerum sit volo illud Diadochi nomen. Quis affirmare audeat eum fuisse, ut credit Cotelerius, simul et Epiri episcopum et Victoris magistrum ? Num inter Africæ episcopos est annumerandus ? Verumenimvero cum prologi auctor Diadochum illustrissimum in defendenda plurimis scriptis christianorum doctrina, episcopum declaret, non mirari nequeo ejus nomen in Ecclesiæ africanæ monumentis non inveniri, quibus vel ignobilium episcoporum notitia ad nos pervenit.

Verisimilius est igitur Victorem Africam non de-

(1) Vid. Ruinarti commentar. *(Patrol. lat.*, LVIII, col. 181). — Petschenig : *Handscriftliche uberlieferung des Victor von Vita* (De Prologo).
(2) Vide Ruinarti (*Patrol. lat.*, LVIII), Halmii, Petschenig editiones.

seruisse. Attamen, Pœtsch opinioni non assentior qui credit eum Carthagine librum scripsisse (1). Ut enim id verum demonstraretur, a recto sensu primum detorquenda essent verba « *hic relegati* » quæ nullo modo Carthaginem possunt designare. Deinde in hac urbe latebras non invenisset quibus ei ad scribendam persecutionem opus erat. At fortasse quidam mihi objicient Victorem Carthagine et residere et scribere potuisse, post revocatum a Guntamundo in hanc urbem Eugenium, redditumque christianis sancti Agilei cœmeterium et restitutam carthaginiensi Ecclesiæ pacem. Verum contrariam sententiam facile amplector cum in quavis Victoris libri parte deprehendo continuum illum iræ et indignationis impetum qui non est scriptoris pace fruentis, sed potius instantibus malis exagitati. Quod si, ut Eugenius, Guntamundi clementia Victor, inter scribendum, usus esset, novarum rerum spe demulsus, quanquam adhuc præteritarum calamitatum memor, non adeo vehementer ad protegendam et ulciscendam Afrorum Ecclesiam, cunctos orbis terrarum christianos provocasset. Ergo, quis dicat Victorem non exsilii sui tempore scripsisse? Nam, cum ineunte Guntamundi regno, persecutio Carthagine deferbuisset, in aliis civitatibus et præsertim in remotissimis locis, presbyteri ariani, hominum infensissimi, sua sponte, sine ullo regis jussu, sæviebant, et christianorum latebras scrutabantur (2). Atque

(1) Pœtsch (*opere citato*), p. 3.
(2) Ferrandus : *Vita Sancti Fulgentii*, cap. VIII.

hoc fiebat non longe a Maurorum et deserti finibus quo reges Vandalorum maximam eorum qui exsulabant partem relegaverant. Harum enim regionum frequentissima mentio est apud Victorem.

Legimus Armogastem proconsulem in quamdam Byzacenæ regionem relegatum « ad fodiendas scrobes » ; christianos aliquo munere in aula Hunerici fungentes, ad demetenda frumenta « in campo Uticensi » damnatos fuisse. Mittuntur postea in desertum 4,976 episcopi et presbyteri ; Eugenius ipse Carthaginiensis et Habetdeum Teudalensis in proximam Tripolitanæ provinciæ civitatem inter Tritonidum lacum et desertum mittuntur ubi Antonio, ferocissimo Arianorum episcopo, in custodiam traduntur. Alii haud longe a sua sede episcopali exsulaverunt ubi ecclesia privati, omnia mala passi sunt. Hæc quæ dixi, Ferrandus, Victoris fere æqualis, in *Vita sancti Fulgentii,* his verbis propugnat : « Fuit « tunc temporis episcopus, qui pro fide catholica, « non longe a cathedra sua jussus fuerat relegari. « De multis enim sacerdotibus hoc Hunerici perse- « cutoris astuta malignitas ordinaverat, ut *juxta « patriam* propriam peregrinationis incommodum « sustinerent (1). »

Aliud argumentum sumpsi ex octavo Inscriptionum latinarum volumine, in quo de Habetdeum exsulante eadem mentio facta est. In hoc loco hæc dicuntur : « Oases plus triginta magnitudinis variæ

(1) Ferrandus *(opere citato)*, cap. IV.

« fertilitatisque, desertis inter se sejunctæ (erant)... « Itaque facile fieri potuit ut episcopus relegandus « in aliam civitatis suæ oasim mitteretur, ubi eccle- « siam non haberet (1). »

Ergo ex his omnibus colligendum est Victorem in quadam Byzacenæ patriæ suæ regione exsulasse atque in exsilio librum composuisse.

§ III. — **Quæ causæ Vandalorum crudelitatem in Afros exacuerint.**

Vandalos Africam ingressos multa et nova incitabant ut sese crudeliores quam antea fuerant, præstarent. Aderat ibi infensissima Ecclesiæ et imperio romano factio Donatistarum, qui latis ab imperatore legibus, et ab Augustino contra eos de vera Ecclesia disputante superati, vitam, ubique latentes, in silentio agebant. Spem autem retinuerant belli cum catholicis redintegrandi, et suos ulciscendi ; cujus ultionis occasio a Vandalis data est, quibuscum inita societate, contra communes hostes, Romæ scilicet imperatorem et catholicos, arma sumpserunt. Jam nec multo ante, ut illam occasionem in promptu haberent, cum Gothis arianis, Sigisvulto duce, Africam intrantibus, conati erant, eadem quæ Ariani crederent se credere fingendo, amicitiam instituere (2). Quæ cum ita sint, quis neget Donatistas, Vandalis

(1) *Corpus inscrip. lat.*, VIII, pars I, pag. 21 (sub verbo Turris Tamalleni (hodie Telmin).

(2) S[t] August., *Epist.* 185.

alacriter obviam ivisse? Legimus apud Victorem (1), Manichæos inter Arianos fuisse ab Hunerico deprehensos ; quanto plures igitur Donatistas inter Vandalos rex annumerare potuisset ! Unum illorum, Nicasium nomine, ad Arianorum partes transiisse in fine libri Victor testatur. Unde colligendum est multos Donatistas Vandalorum favorem sibi conciliasse et sese in animum regis insinuavisse ; immo contendo plerosque Arianorum presbyteros quos libenter « hortatores scelerum » voco, fuisse Donatistas ; hi aut regum Vandalorum palatium nunquam intravere, quod difficile credendum, aut, cum intravere, maximam inter aulicos auctoritatem, quos scientia et excultiore mente superabant, adepti sunt. Quæ vero, tanta freti auctoritate, fecerint, documento sunt latæ ab Hunerico contra catholicos eædem leges quas olim, petentibus catholicis, romanus imperator contra hæreticos et Donatistas tulerat (2). Vandali autem, nedum socios ultro venientes repellerent, eorum odio quo adversus catholicos ardebant, servierunt, atque ita Vandalis gressus facilior est factus.

Hanc operam ut Barbaris navarent, Donatistis se junxere Mauri (3), simili adversus Romanos odio incitati ; contra quos quoties arma tulerint, videre est apud rerum africanarum scriptores ; satis sit Firmi et Gildonis (4) nomina in mentem revocare

(1) Vict. Vit., II, 1.
(2) Vict. Vit., III, 71 : « Ille legis datæ *transversor* ex Donatianorum hæresim ad eos veniens... periit. »
(3) Procopius, I, 5.
(4) Gildo rebellavit anno 398.

qui non multo ante, in Africa, rem romanam in discrimen adduxerant. Qui igitur in rebellantium partibus steterant, Genserici partes quoque statim amplexati sunt, iis blandiente Vandalo et, insita calliditate, multa, vana quidem et falsa, pollicente. Nam, cum ea quæ exspectaverant Mauri non haberent, in Vandalorum fines, regnante Hunerico, incurrere cœperunt, et postea, velut incuriosi rerum quæ in Africa agebantur, prostratis a Belisario illorum copiis nullum auxilium tulerunt.

Denique Vandalis favisse certum est Afrorum plebeculam quæ ære alieno et vectigalibus oppressa, novis rebus semper studebat. Fuere enim, ait Orosius, de Hispanis locutus, « quidam Romani, qui malent inter Barbaros pauperem libertatem quam tributariam inter Romanos sollicitudinem sustinere (1) ». Ecquis non ita locutum fuisse contendat Orosium, si de Afrorum plebe dixisset, quæ sæpe adversus possessores romanos maximam agrorum partem sibi arrogantes, in arma, circoncellionum furoribus stimulata, coierat.

Verum, cum tot essent in Africa qui Barbarorum res adjuvarent, omnem cum eis societatem repudiabant viri genere nobiles et catholici, et inter eos maxime episcopi et presbyteri : alii, sive Christi, sive deorum cultui addicti erant, Romæ imperio, ut omnes civitatum optimates, fidelissimi permane-

(1) Paul. Orosius : *Hist. adversus Paganos*, VII, 4. — Cf. Jung : *Landschaften des Romischen reiches* (p. 182, sq.).

bant, et quia sub Barbarorum dominatione timebant ne opes suas et honores amitterent; alii, quia cum Arianis jungi inhonestum fœdumque videbatur.

Quæ cum ita sint, optimates et christiani utpote qui soli barbaræ potestati obsisterent, omne vandalicæ invidiæ pondus sustinuerunt; et id quidem facile apparet Victoris historiam legenti qui homines aliqua dignitate conspicuos, maxime omnium fuisse a Genserico vexatos, affirmat (1).

Sed imprimis reformidandi erant clerici : qui jam innumeris certaminibus contra hæreticos assueti, postquam acerrimos hostes debellaverant, ad impugnandos Arianos pristinæ virtutis memoria invitabantur. Augebant eis animum exspectata (heu ! nequidquam) a cæteris orbis terrarum christianis auxilia, et firma inter quingentos Africæ episcopos et multo majorem presbyterorum numerum concordia, quæ ea erat ut omnes unum cogitarent et carthaginiensi primati sæpe episcopum romanum consulenti, cervicem submitterent. Hoc assiduo cum summo Pontifice et cum imperatore commercio, et formidini et odio erant Vandalis (2), quorum in republica peculiarem rempublicam instituere videbantur.

Adde quod ecclesiarum bona et ipsæ ecclesiæ tantis christianorum sumptibus adornatæ, avidum

(1) Vict. Vit. (*initio et passim*).

(2) Omnes Ariani pariter timebant illud christianorum cum Romanis commercium (Vid. Révillout (*opere citato*), p. 139).

Vandalorum animum tentabant, quas invadere et catholicis rapere in promptu erat, ut eas Arianorum religioni devoverent. Luce clarius igitur apparet Vandalos firmum regnum in Africa, nisi deleta ibi christianorum religione, statuere non potuisse, contra quam, ut censuere delendam esse, cum maxima vi resisteret, maxima et quam vix excogitare possis violentia uti necesse fuit (1). Nam nulla spes erat fore ut illi aliquando regis ariani arbitrio cederent. Quis ergo miretur Gensericum summum Africæ imperium affectantem, vi statim et terrore adversus christianos, dolo autem cum Valentiniano imperatore, primis regni temporibus, usum fuisse?

Verum Hunericus, in patris locum succedens, postquam tot et tantis cladibus sub Genserico acceptis, romani et byzantini imperii infirmitas omnium oculis patefacta erat, debuit, ut videtur, cum neminem reformidaret, mitius cum christianis agere eisque liberum arbitrium tandem permittere. Haud ita factum est, et id quidem multis de causis. Etenim non eisdem quibus pater animi dotibus excellebat; atque quo imbecillior et obtusior, eo ferocior erat in injungenda cæteris religione quam ipse colebat, eo faciliorem etiam episcopis arianis aurem præbebat. Denique, tanta divitiarum cupiditate impellebatur, ut nihil potuisset eum retardare quominus avidas in catholicorum et ecclesiarum bona manus porrigeret. Hæc fuit causa cur Hunericus Genseri-

(1) Cf. *Eurici persecutionem in Gallia* (Révillout, p. 138-143).

cum imprimis firmandi regni ratione ductum, inaudita crudelitate superaret ; quam, quantacumque fuit, haud difficile tibi effinges, si reputaveris sub Hunerico Vandalos a patrum moribus admodum degeneres, nihil nisi sordidum et inhumanum mente excogitare potuisse.

Præterea hic locus est demonstrandi quanti momenti fuerint apud Hunericum presbyteri ariani quorum creberrimis et sceleratissimis consiliis regis animus occupabatur (1). Hos in dies arrogantiores et crudeliores exstitisse Victor asseverat, quod credo libenter, quippe cum in Arianorum rebus gestis haud semel similia crudelitatis exempla deprehendere sit.

Nam ex quo Ulphilas apud Barbaros tanto in honore habitus, Gothos in Arianismum attraxerat, illorum duces semper episcopis arianis ut consiliorum auctoribus usi sunt. Sigisvultus contra Bonifacium pugnaturus, venit in Africam, comitante Maximino qui statim ibi homines suo errore decipere tentavit. Et fortasse iste idem fuit qui Maximinus ille quem in Sicilia Gensericus invenit. Nam eodem nomine episcopus règi Vandalorum occurrit, et apud eum tot conviciis totque injuriis catholicos insectatus est, ut rex multos eorum morti dederit; quæ sunt nobis ab Idacio tradita (2). Non aliter agebant in Africa presbyteri ariani; immo,

(1) Vict. Vit., III, 54 : « Vade ad episcopos nostros, et quod tibi dixerint sequere. »

(2) Idacius : Chronicon, *Patrol. lat.*, LXXIV.

si Ferrando credas, episcopos et monachos sua sponte persequebantur, ut eos ab implendo quovis ecclesiastico munere prohiberent. Sicque episcopus, Faustus nomine, non longe a sua ecclesia exsulans, continuo ab episcopo quodam ariano lacessitus, quotidie ex alio loco in alium migrare et hominum aspectum vitare cogebatur (1).

Verumenimvero si Arianorum historiam altius repetamus, videbimus eos semper apud imperatores vel religiosissimos quasi delatorum munere fuisse functos. Neminem latet eos Constantio et Valenti sese ut satellites addixisse eisque atrocia suasisse. At nunquam illud adversus catholicos odium magis in aperto fuit, quam cum apud Constantinum ipsum christianæ religionis patronum, Athanasium criminando quod Alexandriæ seditionis et tumultus fuisset auctor, et inter alia facinora, stuprum feminæ intulisset, imperatorem impulerunt ut illustrem illum virum exsilio multaret, invitis Alexandriæ civibus qui, una voce, vexati contra jus sui episcopi patrocinium frustra susceperunt. Qui cum post aliquod tempus, in sedem suam remigrasset, iterum a Constantio Constantini filio impetraverunt ut a militibus e sua ecclesia pelleretur. Suffectus est in ejus locum Georgius Cappadox, vir arianæ sectæ addictissimus, cujus opera statim multi catholicorum episcopi e suis sedibus pulsi sunt, multique Alexandriæ incolæ, qui Arianismum repudiaverant, obtruncati (2).

(1) Ferrandus : cap. IV, VIII, IX, sq.
(2) Vide : Iungmann, *Dissertationes*, t. II (de Arianismi fatis, p. 34, sq.).

Denique Constantii successor, Valens, ab arianis episcopis circumventus, crudelissime adversus christianos se gessit ; qui provinciarum præfectis imperavit ut catholicos episcopos suis sedibus privarent, quos Julianus, tametsi acerrimus deorum defensor, ab exsilio revocaverat. Ita pessimis Arianorum artibus, res christianorum, in Oriente, ad desperationem adductæ sunt, quod testantur quædam sancti Basilii epistolæ, quarum pauca referre libet : « Abactis pastoribus, inquit, introducuntur lupi graves qui Christi gregem discerpunt. Desertæ domus orationis, nec quisquam in eis congregatur ; solitudines lamentantibus refertæ (1). » Et alias : « Jamque aperte præmium impietatis principatus præpositus est, ita ut qui graviores blasphemias ructatus est, dignior habeatur qui populo episcopus præsit (2). »

En qualia fuerunt Arianorum opera ! At multo miserior etiam africanæ Ecclesiæ status effectus est, ubi apud barbaros reges illi magis pollebant quam apud imperatores ; nam ii christianos oderant, Vandali reformidabant. Timore autem facilius quam odio ad crudelia perpetranda animi præparantur. Itaque calumniis et criminibus catholicos insectando, Hunerico erant acceptissimi, ut viri Vandalorum rebus servientes ; immo crudelem regis iram a se deflectebant, qui, ut jam vidimus, vel minima suspicione inductus, presbyteros arianos et Jocundum ipsum patriarcham obtruncari jussit (3).

(1) S[tus] Basilius : *Epist.* 90.
(2) S[tus] Basilius : *Epist.* 92. — Cf. Iungmann (loco citato).
(3) Révillout (p. 109).

Sed illarum rerum quas Ariani regi suo suaserunt, sceleratissima est carthaginiensis collatio, ideo solum, si Victori credas, habita, ut omnes catholicos illi perderent.

Vandalos enim Victor accusat quod impediverint quominus illa collatio bene succederet ; Hunericus vero declarat catholicos fuisse tumultus auctores : quæ omnia quatenus vera sint inquirendum est.

Vix lecto Hunerici edicto, christiani universæ persecutionis mala sibi imminere senserunt. Nam audientibus non spes dabatur, sed timor tantummodo incutiebatur istis edicti verbis : « In provinciis *nostris a Deo nobis concessis* scandalum esse nolumus (1). » Quæ a minitabundo homine dicta esse videbantur. Quod si Hunericus, ad pacem secundum humana jura ineundam, episcopos congregari jussisset, ab omni immoderata et contumeliosa dicendi ratione abstinuisset, qua convocatis episcopis pacis desideratæ spes adimebatur. Præterea quis neget Hunericum simulate egisse, cum episcopos ad rem tractandam, quæ toties, in conciliis, a doctissimis episcopis fuerat tractata, invitaret? Num ea res nova luce illustrari poterat ? Num Ariani quorum dux se latine loqui nescire jactabat, erant doctiores primis Arii adversariis, vel Africæ episcopis numero præpollentibus et sacrarum litterarum disciplina instructis ? Equidem id Hunericum non fugiebat. Itaque, si optima fide egisset, omnem de Trinitate

(1) Hunerici edictum. Vict. Vit., II, 39.

controversiam vitasset, qua bene ordinata, Arianorum audaciam catholici fracturi fuissent. At contra, isti, et præsertim Donatistæ, illa collatione putabant catholicos facile opprimi posse, quemadmodum post celebrem illam Carthaginis collationem, anno 411 habitam, schismaticorum partes erant prostratæ.

Quod si tantum illud periculum non recte vidisset vir sapientissimus, Eugenius carthaginiensis, se et suos armis instruere et quasi muro adversus perfidos hostes cingere non tentavisset, petens ut ex omni orbis terrarum parte episcopi ad disceptationem arcesserentur. Quam perfidus autem fuerit Hunericus, eventus demonstravit. Edixerat enim ut omnes Africæ et insularum vicinarum episcopi ad collationem « omissa omni excusatione formidinis (1) » venirent ; attamen, post habitam collationem, eos omni re ad victum necessaria denudari, domibusque ubi hospitio excipiebantur expelli, denique in Corsicam relegari jussit (2). Hæc erat Vandalorum fides.

Catholicis vero in mente erat justis armis Ecclesiæ dogmata defendere ; seque igitur ad pugnam accinxerunt congerendo in « libro fidei catholicæ » argumenta quibus ante oculos positis freti, et liquidius et melius disputare possent (3). Atque cum in recta disputatione spem omnem salutis christiani

(1) Vict. Vit., II, 39.
(2) Vict. Vit., III, 20.
(3) Illum « fidei catholicæ librum » Eugenius carthaginiensis scripserat. (V. Gennadium, *de Scriptoribus ecclesiasticis*, cap. 97). — V. pag. 26.

collocavissent, ne tamen viderentur majore numero superbire et inde victoriam quærere, sua sponte inter suos elegere decem episcopos qui pro omnibus decertarent. Ingens tamen tumultus factus est, neque ullus disceptandi locus fuit ; quidquid tunc mali evenit, Cyrilæ superbiæ est imputandum, qui patriarchæ nomen sibi arrogavit. Intolerabilis visa est tanta superbia christianis qui suos primates « *primarum sedium episcopos* » aut simpliciter *senes* appellabant (1).

Inde non infitior exortum fuisse tumultum. Statim Ariani occasionem arripuere catholicos calumniandi et accusandi quod collationi habendæ obstitissent ; quo nihil falsius videtur, cum multa istiusmodi facinora hæreticis sint objicienda. Percurre, si potes, grandia illa collationis carthaginiensis (411) acta ; videbis Donatistas, postea Arianorum suasores, quovis modo nisos fuisse ut disputandi necessitatem eluderent. Eodem modo se gesserunt in Gallia, Gundebaldo rege, Ariani ; qui, cum episcopis catholicis cum arianis conferendi facultatem dedisset, isti, sine mora, clamoribus et contumeliis initæ disputationi obstiterunt.

Quis dicat igitur mentitum fuisse Victorem, taliaque in Africa, sub crudelissimo rege Hunerico, fieri non potuisse ?

(1) Vid. *Concilia Africæ*, apud Labbe (Syn. Hippon. 393).

§ IV. — Conferuntur cum Victoris scriptis scripta aliorum qui de Vandalorum crudelitate locuti sunt.

Quidam illorum qui illatam in Africa christianis persecutionem cursim attigerunt, Victoris auctoritatem aut difficile fassi sunt, aut negaverunt ; inter quos Marcus (1), quasi Vandalorum patrocinium suscepisset, male de illo est opinatus ; alii Victorem oratorio more locutum, atque utpote nobilem romanum virum, Romanorum acerrimum laudatorem, non omnino sincerum habuere (2). Sed paucis hic referam ea quæ Marcus Victori convicia injecit. Eum nempe Vandalorum calumniatorem arguit quod miseram Hipporegiorum obsidionem in majus extulerit, et Gensericum adversus christianos nonnisi violentia usum dixerit ; quodque in depingendis Afrorum incommodis magis christianorum contra Arianos odio quam veritati morem gesserit ; quod denique studio et ira et immoderato suæ religionis amore ductus, quædam, et imprimis carthaginiensem collationem, non ut ingenuus historiarum scriptor, sed haud secus atque amicorum et sociorum patronus enarraverit (3).

Credo autem ego aut cuivis illorum qui Barbarorum temporibus scripserunt fidem denegandam, aut, si cui adhibeatur, Victori adhibendam esse.

(1) Marcus, *Histoire des Vandales* (cap. III, et passim), 1835.
(2) Révillout, *De l'Arianisme des peuples germaniques* (1850).
(3) Marcus (opere itato), p. 146, 241, 322.

Num tu in dubium revocaveris omnia quæ Sidonius Apollinaris, quæ Salvianus, quæ Orosius, quæ Idacius, quæ Hieronymus, quæ Gregorius Turonensis, ut cæteros taceam, de Gothorum et Vandalorum incursionibus dixerunt ? Si his scriptoribus ea quæ viderunt narrantibus diffidas, necesse est cadat stylus de manibus, et ab omni historiæ scribendæ cura mentem avertas.

Verum ad Victoris auctoritatem defendendam incitor manifesta rerum quas scribit congruentia cum iis quæ alii scriptores nobis de illa Barbarorum immanitate tradiderunt. Ea quæ isti in Gallias perpetraverunt testantur vetusta multarum Galliæ ecclesiarum monumenta quæ hic explanare nec oportet nec vacat, præsertim cum non Vandali solum, sed aliæ etiam gentes barbaræ illa scelera commiserint (1). Sed quis Hispanias occupatas fuisse neget et vexatas ab iisdem hostibus qui Africam non multo post occupaturi et vexaturi erant, scilicet ab Alanis et Vandalis ? Quæ crudelitatis facinora in hac regione isti ediderint videre est apud scriptores, ex quorum testimoniis Victori suffragantibus patet Hispanias penitus vastatas esse, et Hispanos omni suppliciorum genere excruciatos. At lege ea quæ de illa vastatione scripsit testis Idacius : « Subversis memorata plagarum grassatione Hispaniæ provinciis... sorte ad habitandum sibi provinciarum dividunt regiones. Hispani per civitates et castella residui a plagis, Barba-

(1) V. Ruinart, *Histor. persecut. vandalicæ. Patr. lat.*, LVIII. (col. 359, sq.).

rorum per provincias dominantium se subjiciunt servituti (1). »

Residentibus adhuc in Hispania Vandalis, jam in Africam pervenerat tantorum malorum fama. Terrore igitur correpti episcopi, videntes se non posse grassantibus undique hostibus resistere, fugiendi consilium ceperant. Honorato cuidam, de hac re sanctum Augustinum consulenti, hic respondit fugam non decere episcopum ; quibus Augustini verbis videre licet qualis Hispaniarum vastatio fuerit. Honoratus, illius vastationis certior factus, recte prævidens Africæ mala, Augustino dixerat : « Si in Ecclesiis persistendum est, quid simus nobis vel populo profuturi, non video, nisi ut ante oculos nostros viri cadant, feminæ constuprentur, incendantur ecclesiæ, nos ipsi in tormentis deficiamus, cum de nobis quæritur quod non habemus (2). »

Ecquis ea verba non judicet quasi imminentis Africæ persecutionis vaticinationem ? Sed audi Augustinum ipsum : « Sancti episcopi de Hispania profugerunt, prius plebibus partim fuga lapsis, partim peremptis, partim obsidione consumptis, partim captivitate dispersis. » Hæc fuit, revera, miserabilis Afrorum fortuna quam nobis rerum vandalicarum scriptores adumbravere.

Quæ in operis initio Victor retulit, omnino congruunt cum iis quæ Augustinus, Possidius, Cerealis carthaginiensis episcopus, et post eos Procopius de

(1) Idacius, Chronicon (*Patr. lat.*, t. LXXIV).
(2) S^{tus} Augustinus : *Epist.* 228 (circiter annum 428 scripta).

Vandalorum in Africam irruptione tradiderunt. Hic refert Gensericum exercitui suo præfecisse 80 chiliarchas ut 80,000 virorum armatorum speciem præberet, cum vix 50,000 militum haberet (1). Eadem fere scripsit Victor, verbaque quibus Africæ calamitates, ingressis Vandalis, deplorat, consentanea sunt cum iis quibus usi sunt illi qui tantæ cladis testes fuerunt.

Imprimis citanda sunt Augustini verba qui, dum obsidione premebatur Hippo Regius, jam comperta habebat mala quibus Afri circumveniebantur. Nam in sermone qui de tempore barbarico dicitur, in hunc modum querebatur : « In ipso fine rerum posita est universa provincia, et quotidie sanguis hominum funditur in mundo. » Et in alio ejusdem sermonis loco : « Mortuorum hominum, inquit, sepeliendis corporibus vix illi qui remanere videbantur occurrerunt. » Adeo inauditæ erant illæ calamitates ut omnes christiani vix oculis fidentes, se a Deo irato percuti crederent. « Perfectum est hoc flagellum, dicebat episcopus hipponensis, ex improborum peccatis. » Quibus verbis Possidius calamensis hoc modo Vandalorum atrocem iram depingens, suffragabatur : « Divina voluntate et potestate provenit ut Vandali in Africam irruissent. Universa per loca Mauritaniarum etiam ad alias nostras transiens (hostis) provincias et regiones, omni sæviens crudelitate et atrocitate, cuncta quæ potuit expoliatione, cædibus diversisque tormentis, incendiis aliisque

(1) Procopius : I, 5.

innumerabilibus et infandis malis depopulata est ; nulli sexui, nulli parcens ætati, nec ipsis Dei sacerdotibus vel ministris, nec ipsis ecclesiarum ornamentis... Vix tres superstites fuere ex innumerabilibus ecclesiis, hoc est, Carthaginiensis, Hipponensis et Cirtensis (1) ».

Sic breviter Possidius retulit quæ Victor, persecutionis vandalicæ scriptor, fusius explanavit. Quæ quam vera habenda sint possumus etiam colligere ex epistola quam Capreolus episcopus carthaginiensis, invitatus ut ad Ephesi concilium veniret (2), hujus concilii patribus scripsit, negans se, per occupatam a Vandalis Africam, iter facere posse : « Omnis, inquit, hac tempestate (anno 431) viæ aditus præclusus est. Etenim effusa hostium multitudo ingens, ubique provinciarum vastatio, quæ incolis, partim extinctis, partim in fugam actis, miseram desolationis speciem quoquoversum longe lateque porrigitur, oculis offert, promptam illam veniendi (occasionem) reprimit (3). »

Hæc omnia, nondum capta Carthagine, evenerant. Sed postquam urbs illa in Vandalorum potestatem venerat, multi eorum qui nobilitate et divitiis et religione clarebant in exsilium missi sunt, aut in servitutem redacti ; ut, illorum qui Romæ partibus favebant nemine ibi remanente, Carthago vandalica urbs omnino evaderet. Illas calamitates Victor non

(1) Possidius, *Vita Augustini* (cap. 28).
(2) Mense junio 431 habitum.
(3) Ph. Labbe, *Concilia*, III, col. 529.

extulit in majus, at contra verbis usus est quæ ad ea quæ a Procopio dicta sunt, mire consonant. In hunc modum enim Procopius de virorum nobilium vexatione loquitur (1) : « Si qui inter Afros nobilitate et opibus florebant, eos ipsorumque latifundia ac rem omnem familiarem cum onere servitutis addixit filiis suis Hunerico et Genzoni... Agros cæteris ademit Afris, plurimos sane et optimos, ac Vandalis divisit : unde Vandalorum *sortes* etiamnunc vocantur. Redactis ad summam inopiam veteribus prædiorum dominis, retenta libertate, integrum erat quo luberet accedere... *Sic Afros omnia calamitatum genera circumvenerant.* » His adde quæ in Chronico Prosper dicit : « Gensericus XIII kalendas novembres Carthaginem dolo pacis invadit, omnes opes ejus, excruciatis diverso tormentorum genere civibus, in jus suum vertit... in universum captivi populi ordinem sævus, sed præcipue *nobilitati et religioni infensus.* » Quæ adhuc a Ferrando confirmantur de sancti Fulgentii avo loquente qui Carthagine, cum eam Vandali ceperunt, degebat : « Dum, inquit, Gensericus Carthaginem victor invadens, senatores plurimos, immo cunctos, amissis bonis, ad Italiam navigare compelleret, (avus) inter cæteros etiam ipse impositam peregrinationem libenti voluntate suscepit, volens saltem, facultatibus perditis, non perdere libertatem (2). »

Quod ad episcopos peculiariter spectat, lege

(1) Procopius, *De bello vandalico,* I, 5.
(2) Ferrandus, *Vita S^ti Fulgent.* (cap. 1).

Idacium : « Gensericus elatus impie episcopum clerumque Carthaginis depulit ex ea, et ecclesias catholicas tradidit Arianis (1). » Lege denique hæc Theodoreti qui multos Africæ episcopos exsulantes vidit et commendatitiis litteris munivit, ut per Orientem, apud nobiles viros, benigno hospitio exciperentur : « Quæ Carthaginienses passi sunt, Eschyli et Sophoclis egent tragœdia, et fortasse eorum vinceret linguas malorum magnitudo (2). »

Non minus confirmari possunt quæ de captivis romanis in Africam, post captam Romam, appellentibus Victor dixit (3), quæ quidem ut testis oculatus enarravit. De his ita locutus est Paulus Diaconus (4) : « Omnibus opibus allatis, multa inde captivorum millia cum Augusta Eudoxia et ejus filiabus (Gensericus) Carthaginem duxit. »

Similis fuerat fortuna illorum qui, capta ab Alarico (anno 410) Roma, in Africam fugerant ; qui inedia et navigatione debilitati, vix e navibus egressi, in potestatem Heracliani comitis devenere, a quo crudeliter vexati sunt, ut quam maximam possent pecuniam ei traderent (5).

Quæ hactenus in disputationem adduxi, ad Genserici regnum pertinent. Pariter vera esse videbimus

(1) Idacii Chronicon (ad annum 439). *Patrol. lat.*, t. LXXIV, col. 675.

(2) Theodoreti Epist. 29. — Cf. Epist. 52, ad Ibam Edessæ episcopum. *Patrol. grec.*, t. LXXX. — Vide Dahn, *Die Kœnige der Germanen* : *die Vandalen*, p. 241, sq.

(3) Vict. Vict., I, 25-27.

(4) Paul. Diaconus (*Historia*, lib. XV. *Patr. lat.*, t. XCV). — Cf. Prosperi Chronicon.

(5) Paul. Orosius (*Historia adversus Paganos*, VII, 42). — Cf. Am. Thierry : *Alaric*, p. 467.

ea quæ de Hunerico nobis Victor tradidit. Facile tibi apparebit Hunericum in catholicos multo gravius quam patrem exarsisse ; quam sententiam haud spernendi auctores adjuvabunt. « Christianos Africæ, ait Procopius, tam crudeliter, tamque injuste nemo vexavit quam Hunericus. Cum enim illos ad sectam arianam compelleret, quoscumque parum ad obsequendum promptos deprehendebat, igne aliisque suppliciis excruciatos necabat (1). »

In eumdem fere modum loquitur Marcellinus comes. Sed imprimis juvat verba Gregorii Turonensis referre qui res, quas a Victore non acceperat, enarravit : « Defuncto Trasimundo (lege *Genserico*), post scelera quæ in sanctis Dei exercuit, Hunericus mente crudelior, africanum occupat regnum ; cujus sub tempore quanti christianorum populi pro ipso Christi sacratissimo nomine cæsi sint, ab hominibus non potest comprehendi (2). »

Non mirari igitur debemus tot episcopos, post collationem, in exsilium fuisse actos ; eorum paucissimi, quamdiu sæviit Vandalorum persecutio, in suis sedibus permansere. Alii fugerunt, alii, præsertim provinciæ proconsularis episcopi, in Corsicam, alii in deserta Africæ loca relegati sunt. Horum omnium numerus qui in Notitia legitur, haud multum abest a numero nobis a Marcellino comite tradito qui refert « plusquam 333 orthodoxos episcopos in exsilium pulsos fuisse (3) ».

(1) Procopius : *De bello vandalico*, 1, cap. 8.
(2) Excerpt. ex Greg. Turon. (*Hist. Franc.*) ; *Patr. lat.*, t. LVIII, col. 770).
(3) *Patrol. lat.*, t. LI (col. 914).

At imprimis oportet videamus num fidem adhibere possimus Victori dicenti « *4,976 episcopos, presbyteros, diacones et alia Ecclesiæ membra* » apud Mauros, una die, non multo ante collationem, fuisse relegatos. Falso opinatur Marcus (1) Victorem hac tanta multitudine nonnisi episcopos et presbyteros designare voluisse. Liquet vero hisce verbis « *alia Ecclesiæ membra* » mentionem fieri de christianis, tam ex laicorum quam ex clericorum numero, qui omnes quasi membra habentur illius corporis quod Ecclesia vocatur.

Illam persecutionem ita memorat Victor Tunnunensis : « Hunericus Vandalorum rex, persecutioni per totam Africam nimis insistens, Tubunnis, Macri, Nippis, aliisque eremi partibus, catholicos, jam non solum sacerdotes (episcopos) (2) et cuncti ordinis clericos, sed et monachos atque laicos quatuor circiter millia exsiliis durioribus relegat, et confessores et martyres fecit (3) ».

At urbium in quibus multitudo illa congregata fuit, non eadem est apud Victorem Tunnunensem quæ apud Victorem nostrum mentio. Prior Tubunnum et Macrin nominat quarum una in Mauritania sitifensi, ad septentrionem, altera in Cæsariensi, ad meridiem sita est ; Siccam autem et Lares haud longe a Numidiæ orientalis finibus sitas, Victor Vitensis designat ; cui majorem quam Victori Tun-

(1) Marcus, *Hist. des Vandales*, p. 62.

(2) Jampridem in Afrorum lingua sacerdos *episcopum* significabat.

(3) Victor Tunnunensis : Chronicon (de tertio Zenonis Augusti consulatu, ad annum 479), *Patrol. lat.*, t. LXVIII.

nunensi fidem habendam esse quibusdam argumentis enitar comprobare.

In oppido illo quod Lares vocabatur, paulum stabant sive viatores, sive milites qui orientales Byzacenæ partes petere parabant. Tradit enim Sallutius (1) Marium illic stipendium et commeatum, sub Manlii legati custodia, locavisse ; eumque, cum Mauros debellare statuisset, Cirta Lares et Laribus Capsam, Byzacenæ meridionalis caput, signa movisse. Hoc iter fecisse exsules ex Proconsulari venientes, ut in regionem illam pervenirent, verisimillimum est ; quæ Byzacenæ contigua et Arzugitana vocata ab Aurasii montis radicibus, ut vastus limes, usque ad tripolitanam provinciam patebat. Collocati sunt, credo, exsules in hujus provinciæ finibus qui, septentrionem versus, Capsa urbe et Tritonide lacu circumscribebantur. Nam, cum huc, post longum iter defatigati, tenderent, eis occurrit Cyprianus Unizibirensis (2) episcopus, exoptans in eorum societate durissimi exsilii mala perferre; quod novum est argumentum exsules nonnisi per Byzacenam iter fecisse.

Hæc præterea confirmantur inscriptione recentissime reperta (3) in Africæ urbe quæ nunc Djezza,

(1) Sallust., *Jugurtha* (90).
(2) *Notitia provinciarum* (Byzacena, nº 41). Vict. Vit., II, 33.
(3) *Corp. inscript. lat.*, VIII, 16,396 (supplem. pars I) :
...n(u)s tr(ibunus) m(ilitum) Fo(rtensium) Benen(at)us
Bictor m(artyr) Romanus d(ia)c(onu)s p(resby)t(e)ros.
Fel(ix) Rog(a)t(u)s ...tr(ibunus) Fel(ix) Cin(namus), Fel(ix) Gr(e)g(o)rius,
Fel(ix) R(o)ga(tu)s, Donat(u)s m(artyr) n(oster) Liber(a)tus, F(eli)c(u)l(us),
P(ater)ni, Rog(atu)s Controsar(i)us = Controversarius ?
Donati(a)n(u)s, Maricl(u)s, Bi(ct)or M(a)uri, Fuzon, Kadizon,
Dona(t)u(s), Bonifati(u)s, Natalic(u)s, Bict(o)rian(us),
Natalic(u)s, Tinu(s), Gauzio(s)u(s), Romanu(s), Inulus.
Ha(ec) nomina in (h)omilia no(b)is.

olim Aubuzza vocabatur; quæ haud longe a Sicca (1) (hodie El-Kef) sita erat. In hac inscriptione multum truncata et propter temporis injuriam lectu difficili, triginta virorum nomina leguntur, inter quos sunt laici. Vandalicæ persecutionis monumentum esse putat, vir in indagandis hujusmodi titulis admodum sagax, Rossius, eoque designari exsules qui in urbe Sicca ab Hunerico congregati sunt (2). Horum nomina in Martyrologio relata antequam in lapide inscripta sunt, Aubuzzitani in homiliis celebrabant; ea enim erat Afrorum consuetudo, ut illorum, qui fortiter persecutionem passi erant, memoriam posteris traderent.

Superest, antequam istam de Victoris auctoritate disputationem absolvo, ut pauca disseram de quibusdam factis prodigii loco habitis quæ ille retulit. Ea utrum vera fuerint an falsa, parum interest; demonstrare solum volo eadem facta aut eorum similia a quinti et sexti sæculi scriptoribus narrata fuisse.

Refert Victor quemdam Felicem, civem carthaginiensem, multis jam annis cæcum, ab Eugenio, coram multitudine, oculorum lumen recuperavisse (3). Id testatur quoque Gregorius Turonensis :

(1) Distat quinque et viginti millibus.

(2) Hanc opinionem, per litteras ad me scriptas, vir doctissimus P. Delattre nuper corroboravit.

(3) Vict. Vit., II, 47-51.

« Eugenius, inquit, non solum visibilium oculorum cæcitatem, sed etiam mentium depellebat (1). »

Sed quid dicam de illis Tipasæ incolis quibus lingua præcisa est ? quos facile, ut antea, et lucide locutos esse Victor asseverat. Quid tibi videtur ? Primum, minime dubitandum est quin tali supplicio viri, in Africa, affecti fuerint, quod in usu, apud Mauros, erat. Hi enim, cum, quadam die, Leptim depopularentur, civitatis primoribus linguam amputaverunt (2). Sed, ut ad Victorem redeam, non spernendi sunt auctores qui eadem quæ Victor, tradiderunt, quorum verba referre juvat. Accipe primum quæ Procopius dicit : « Multis linguam, faucium tenus abscidit, qui nostra ætate superstites, *Byzantii explanate loquebantur,* nullum capientes sensum illius pœnæ (3). » In hunc ferme modum locuti sunt Victor Tunnunensis (4), Æneas Gazensis philosophus platonicus (5), Marcellinus comes et ipse imperator Justinianus. « ... Ex hoc fidelium contubernio, ait Marcellinus (6), aliquantos ego religiosissimos viros, præcisis linguis, manibus truncatis, apud Byzantium *integra voce conspexi loquentes.* » Ad hæc Justinianus : « Vidimus, inquit, venerabiles viros qui, abscissis radicitus linguis, *pœnas suas*

(1) Excerpta e Gregorio Turonensi (*Patr. lat.*, LVIII, col. 771).
(2) Ammianus Marcellinus, XXVIII, 6 (anno 370).
(3) Procopius, I, 8.
(4) Victor Tunnunensis : Chronicon (ad annum 478). *Patr. lat.*, t. LXVIII.
(5) In dialogo qui *Theophrastus* inscribitur (*Patrol. græca*, t. LXXXV, col. 865).
(6) Marcellin., Chronicon (Indict., VII, ad annum 484). *Patrol. lat.*, t. LI, col. 914.

miserabiliter loquebantur (1) ». Affirmare non ausim Victorem homines illos vidisse aut loquentes audivisse. Sed quanquam id nemini credibile videtur, non possum non moveri iis quæ ad rei fidem profert Victor qui unum illorum martyrum designat, totamque urbem Constantinopolim et Zenonem ipsum imperatorem in rei testimonium, ut ita dicam, advocat (2).

Hæc et ejusmodi alia cum per Africam divulgarentur et ab historiarum scriptoribus commemorarentur, quis Victori succenseat, quod ipse quasdam earum rerum, in libro suo, retulerit ? Num Tito-Livio historiæ artem et fidem denegamus, quia illas de Romanorum origine fabulas, quas vulgus dictitabat, exornata oratione enarravit ?

(1) Cod. Justinianus, I, 27 : de officio præfecti prætorio Africæ.
(2) Vict. Vit., III, 30.

CAPUT III

QUÆ IN VICTORIS HISTORIA DESIDERENTUR

Asseveranti mihi Victoris auctoritatem non in animo est eum ita laudare, ut ea, quæ in ejus opere desiderantur, tenebris obvolvi cupiam. Equidem multa sunt quæ ei vitio dari possunt. Sed, ante omnia, quærendum est utrum *libellum* in Vandalorum contumeliam, an quam Græci vocant ὁμιλίαν scribere voluerit.

Sunt qui dicant Victorem odio solum et ira ad scribendum impulsum(1), nihil aliud, in libro suo, sibi proposuisse quam infamiæ notam Vandalis inurere. Hoc quidem facere potuisset scriptor qui mentis acumine et cogitationis vi præditus, de ignotis personis male loqui et posteros decipere voluisset. At, cum apud æquales quorum multi eadem quæ ipse passi erant, Victor, ut testis oculatus, facta enarraret, mentiri nequibat ; facta enim per se ipsa loquebantur. Hæc, fateor, rhetorum modo sæpe adumbravit, quasi vero majora voluisset videri. Non tamen inde colligendum est ei fidem esse denegandam; quia, ut melius infra videbimus, Afrorum, seu historicorum, seu philosophorum, mos erat res, elocutionis figuris, in majus extollendi.

(1) V. supra, pag. 55.

Verum, inquies, Victor minus Vandalos ipsos quam eorum doctrinam criminationibus insectatus est. At, hercle, cui hoc mirum videbitur? Quis nescit arianam hæresim teterrimam pestem exstitisse? Nolo commemorare turbatam, quarto sæculo, ab Arii fautoribus orbis terrarum pacem, luctantem, ut ita dicam, cum Oriente Occidentem, catholicorum undique sanguinem effusum, episcopos in exsilium actos, Barbaros denique Arianorum auxilio fretos, imperii fines occupantes. Cui, non solum christiano, sed etiam romano homini, hoc non detestabile et odiosum esset? Quantum igitur Victoris ira commota est, tot calamitatum quas Afri, dominantibus Arianis, tolerabant, spectaculo!

Quæ ira, cum omnibus Afris, ut a pessimo Arianorum cultu abstinerent, esset communicanda, vandalicæ persecutionis narrationem in ὁμιλίας materiam, credo, Victor redegit. Argumento sunt innumera Scripturarum loca quæ, sacrorum concionatorum more, narrationibus suis subjunxit. Namque nihil antiquius habebant illi quam suam doctrinam prophetarum et apostolorum verbis confirmare, et in omnibus christianorum rebus, tum cum isti maxime ab hominibus vexabantur, Providentiæ nutum ostendere. His accedebant enarratæ magnifice martyrum virtutes; quarum tunc temporis tot exempla in Africa erant ut cuivis concionatori in promptu fuerit æquales æqualium illustrissimis exemplis docere; quibus exhortationibus dum præsentes christianorum calamitates sublevabantur, simul præclara Ecclesiæ africanæ memoria consecrabatur.

Maximam igitur curam Victor impendit ut tot memorabilium rerum quæ in Africa evenerant imagines, concitatis animi sensibus et vivida oratione, ante omnium qui audiebant oculos exponeret. Itaque, cum ad imitandos fratres qui tanta passi erant, summa vi christianos incitaret, cumque ipse interdum acerbissimæ persecutionis recordatione exagitaretur, immodicis elocutionis figuris atque iis quæ apud Græcos ὑπερϐόλαι dicuntur, quasi naturali impulsu usus est; simulque hæc verba : *quid plura ?... quis posset recordari,... enumerare ?* etc., quæ rhetorice adhibuisse videtur, frequenter, usque ad lectoris tædium, adhibuit, ut res serie carentes quodam orationis vinculo inter se conjungeret. Denique, in narrationis fine, preces illæ quibus Deum et sanctos Victor invocat, quid aliud sunt nisi sacræ concionis peroratio ?

Non dubitabo igitur dicere Victorem *Passionem Martyrum* scribere voluisse, eamque in cathedra exprompsisse ; atque eum, historiæ speciem libro daturum, loca addidisse, ut prologum et *fidei catholicæ librum*, Eugenii Carthaginiensis opus, et famis descriptionem et Hunerici mortis mentionem, quæ omnia posterius inserta fuisse nemo negabit ; sicque Victorem ex concionatore historiarum scriptorem, quasi ex fortuito, evasisse.

Quod ad historiæ artem pertinet, plerumque Victor fatetur se tantummodo brevitati studuisse. Quæ autem causa fuerit cur hanc scribendi rationem elegerit, non facile est inquirere. Num instantis persecutionis metu impellebatur ut historiam suam quam

celerrime componeret? At, hercle, si brevitati solum studuit, nescio cur supervacua quædam explanaverit, facta autem, ut videre est, mentione digna silentio prætermiserit.

Sed perpendamus præcipua Victoris libri loca. Hujus libri initium abruptum est et sine arte scriptum. Victorem sane non vituperabo quod, ut moris est historiarum scriptoribus, de Vandalorum origine et moribus et de eventu quo illi in Africam impulsi sunt, non locutus est. Attamen eorum indolem paucis verbis depingere non abs re fuisset, ut nihil de personis lectorem fugeret, antequam in scenam inducerentur. In hoc autem libri loco, rerum descriptio incerta est et quasi incondita. Quam viam secuti fuerint ingressi Africam Vandali, ubinam rapinas exercere inceperint, parum compertum. Si Possidio (1) credas, hipponensem regionem illi primum devastavere, quod tacens Victor, de Æde Memoriæ et Via Cœlesti, quæ Carthagine erant, funditus eversis, locutus est, antequam de Hipporegii obsidione et de capta a Genserico, post aliquot annos, Carthagine mentionem fecit.

Multa sine ordine pariter scripta in Victoris libro deprehendere est. Ita alii aliis conjunguntur ab eo eventus, ut credere possis inter eos exiguum temporis punctum intercessisse. Sic protinus, post obsessam Hipponem (430) captam Carthaginem commemorat, quamvis hæc urbs post novem annos in Vandalorum ditionem venerit (439). Atque postquam locu-

(1) Possidius, cap. 28. *Patrol. lat.*, t. XXXII (col. 34, sq.)

tus est de malis quæ captæ urbi illata sunt, statim de ordinato Deogratias verba facit, qui solum anno 459 Carthaginis episcopus electus est.

Ita non solum ordine sed serie carent quæ Victor enarrat, nullo naturali vinculo inter se consociata. Ut unum, inter multa, exemplum sumam, postquam artes quibus ad perdendam religionem Gensericus usus est, in lucem prodere cœpit, a re digreditur, atque, longa mentione de Sebastiano facta, rursus ad inchoatam narrationem redit (1).

Quin etiam, spreta rerum et temporum serie, Victor egregia quædam christianorum et martyrum facinora eligit, quæ singulariter et summa cura et cum mentis voluptate adumbrat, Maximæ scilicet conjugium abnuentis fortitudinem et Deogratias in Romanos exsulantes studium et præclaram Armogastis virtutem (2), et alia denique ejusmodi quæ hic indicare longum est.

At contra quæ, in depingenda Vandalorum dominatione, ad rerum politicarum historiam spectant, negligit. De obsessa Hippone locutus, nihil aliud curat quam ut ea quæ passi sunt christiani describat; quod magis est mirandum, cum paucissimis verbis captam Carthaginem commemoret. Debuit autem obsidionis causas et illarum urbium mala, ut qui tantis rebus interfuisset, recensere, quandoquidem quæ obsidionem secuta sunt, Africæ inter Vandalos et Romæ imperatorem divisionem, recte indicavit.

Verumenimvero fortasse aliquis, ad Victorem ex-

(1) Vict. Vit., I, 19.
(2) Vict. Vit., I, 34-50.

cusandum, dicat eum rebus sacris multo magis quam rebus politicis studuisse. Esto. Multa sunt vero vel ad religionem tantum pertinentia, et ea quidem maximi momenti, quæ aut prætermittit aut obiter et uno verbo indicat. Quis credat Victorem Eugenii Carthaginiensis exsilium quasi ex fortuito retulisse, nec qua de causa, nec quo tempore evenerit dixisse (1)? Quare etiam reservata exsulantibus loca non plane nos docuit? Conjecturarum igitur occasionem potiusquam veritatis lucem nobis persæpe Victor reliquit, quod ei exprobrari potest, tametsi maxime brevitatis studio indulserit.

Nam, quamvis ante omnia persecutionum historiam enarrare sibi proposuerit, operæ pretium fuit pauca interdum de rebus politicis disserere, quibus illa Vandalorum in christianos immanitas explicatur. Sed id eum ex consulto prætermisisse credo, ex quo quædam vandalicæ crudelitatis excusatio oriri potuisset. Neminem enim fallit a Romanis, propter politicam rationem, christianos ita vexatos fuisse ut eorum sanguis non solum in Africa, sed etiam in Asia et Europa fluxerit. Non similis Victori videtur Vandalorum agendi ratio, quos solum insita et inusitata feritate et inexpleto in christianos odio impulsos depingit; atque Gensericum et Hunericum, qui revera dissimilibus causis crudeles fuere, judicio non satis diverso discernit; quo inter eos discrimine neglecto, persuasum habet lector (quod Vic-

(1) Hic, sub Trasamundo Vandalorum rege iterum exsulans, in Albigensium civitate, cujus fuit episcopus, e vivis excessit. (V. Ruinart. comment. *Patr. lat.*, t. LVIII, col. 399).

toris voto respondet) christianos nonnisi bestiarum sanguinem tantummodo sitientium ludibrio, per quatuor et quinquaginta annos, permissos fuisse.

Quis denique non miretur tot loca supervacanea et a proposita re aliena in Victoris libro esse ? Nihil ad historiam conferunt tot otiosæ orationes ; nihil confert illa famis 'descriptio, rhetorum vel poetarum more scripta. Non magis utilis est illa provocatio quæ in libri fine legitur quæ est presbyteri ad populum in Ecclesia contionantis, non historiarum scriptoris opus. Utilis est tamen volenti Victoris scribentis indolem introspicere. Nam quamvis multa in ejus libro rhetorice concinnata sint, ortam ex tantæ persecutionis memoria indignationem Victor non mentitur, seque Romanorum partibus, et eorum quidem nobilium, favere satis declarat ; idque ejus indignationem auget quod illas partes multi deseruerunt, atque Barbarorum mores laudibus extollendo, Romanis, ut corruptis et debilitatis, nimiam infamiam fecere ; quam contumeliam antiquæ illi Romani nominis dignitati illatam Victor ægre tulit, cum tot rapinas, tot facinora quæ non excogitavisset ipse Mezentius (1), Barbari, non prave solum sed etiam periculose laudati, perpetravissent. Cum enim quidam christiani dictitarent fatalem imperii romani diem, irato Deo, jamjam venturum, sibi Barbari visi sunt electi qui Dei auxilio freti, super romani imperii ruinas novum imperium ædificarent.

(1) Vide Vergilium : *Æneid.*, VIII, 481.

PARS POSTERIOR

DE VICTORIS DICENDI GENERE

A. — DE VICTORIS LATINITATE

Nunc operæ pretium est videre quale sit Victoris dicendi genus, postquam de historicis ejus artibus disserui. Fateor neque utilitate neque delectatione carere hujusmodi indagationem ; quia nostrates artis grammaticæ aut latinarum litterarum magistri, quanquam sæpissime de labente latina lingua disseruere, de Victore Vitensi nullam mentionem fecerunt ; quem haud ita negligendum esse multis de causis censeo.

Scripsit Victor tempore quo jam non solum in Africa, sed etiam in cæteris imperii romani regionibus scriptores evanescebant qui ciceroniani sermonis imaginem exprimere poterant. Non deerant autem poetæ, mediocres quidem, qui Vergilium et Lucanum, vel recentiorem Claudianum in scholis admirati, epicum genus renovare tentabant, inter quos Dracontius qui, regnante Guntamundo, flore-

bat, et Corippus qui reportatas in Africa a Johanne Justiniani imperatoris duce contra Mauros et Vandalos victorias cecinit, ut cætera ejus opera taceam.

Etenim facilius erat aureæ latinitatis poetas quam Ciceronem vel alios qui soluto sermone scripserant imitari ; quia, tunc temporis, versificandi ars apud eos solum in honore et usu erat qui in scholis aut in litteratorum hominum circulis versabantur qui a vulgo semoti, neque in vulgi usum scribentes, germanam antiquorum poetarum artem et linguam quodam modo retinere poterant (1). At non ita de ciceroniana lingua evenit. Solutus enim Romanorum sermo, non jam ludorum, ut poesis, exercitatio, quem omnes, vel Barbari imperio romano immixti loquebantur, latiori in dies christianorum hominum societati accommodatus, quotidiano et pravo loquendi usu corrumpebatur. Necesse igitur fuit illis qui ingenii viribus non destituti, purum Romanorum sermonem potuissent retinere, cum tantummodo dirigendi et docendi populi causa aut loquerentur aut scriberent, plebeio dicendi mori indulgere ; neque alia de causa Augustinus qui fuerat in Africa et in Italia doctus rhetoricæ artis magister, propriam loquendi rationem auditoribus ciceronianæ eloquentiæ imperitis accommodavit (2). Ita invaluit consuetudo litteratorum hominum et imperitorum linguam miscendi, atque paulatim sinceræ latinitatis memoria et usus exolevit, vel apud eos qui in paganorum

(1) V. G. Boissier : *Revue de philologie*, 1882, p. 35.
(2) S[tus] August., *in Psalmos* 32, n° 2.

scholis educati, novæ deinde religioni addicti, partes christianorum suis scriptis adjuvabant. Quinto enim sæculo, imprimis apud Afros, latina lingua nihil aliud erat quam theologicarum doctrinarum ancilla ; atque, ut miles gladium, sic stylum adversus hæreticos, Africæ scriptores stringebant. Repellendis paganorum et hæreticorum contra Christi religionem conjurantium ictibus, Optatus Milevitanus et Augustinus omnem curam impenderunt. Hæc in animo habuere, quinto sæculo, Victor Cartennensis, Vigilius Thapsensis et Fulgentius, qui Arianos tot scriptis impugnaverunt. Quid dicam de Victore nostro qui exsulans, animi et corporis doloribus excruciatus, vandalicam, quam passus erat, persecutionem enarravit ? Nihil mirum igitur si latinum sermonem quem nemo jam recte loquitur, tunc illi vexent et sibi accommodent, et, ad intemperantius scribendum impulsi, elocutionis figuris prave et inurbane utantur.

Hæc sunt vitia quæ apud Victorem deprehendemus, quamvis non sit scriptor omnino rudis et rerum quæ scribendi artem regunt, ut contendit Petschenigius (1) ignarus. Mihi autem videtur in ludis qui in Africa adhuc erant, fuisse versatus, ibique rhetorum disciplinam hausisse, quæ jam a Quintiliani temporibus, latinis litteris tanto detrimento fuit. Ingenio scriptoris in illis scholis educati, idoneam et ingentem materiam immanis illa Vandalorum persecutio suppeditabat.

(1) *Corpus scriptor. ecclesiastic.*, VII; præfatio, XIII.

His causis factum est ut Victoris dicendi genus sæpius esset non historici, sed rhetoris, ejusque sermo poesim redoleret, et simul (quod mirandum est) vulgaris eloquii, quo christiani scriptores utebantur, vestigia exprimeret; sic qui ambitiosa ornamenta affectabat, idem grammaticorum leges, haud secus ac vulgus, aspernabatur.

Hæc omnia explanaturus sum in hac meæ commentationis parte ubi de Victoris Vitensis latinitate et stylo agetur, adjectis interdum notulis, quibus, quantulumcumque fieri potest, quædam Afrorum dicendi generi pecularia illustrabuntur (1).

(1) Quale fuerit Afrorum dicendi genus, quo a cæterarum gentium latinitate differat, non facile est plane ostendere. Doctissimi Germaniæ grammatici qui, his temporibus, in hanc rem incubuerunt, non certas opiniones, sed conjecturas edidere. Recenter Karl Sittlius, cujus libro usus sum (*Die lokalen Verschiedenheiten der lateinischen Sprache*; Erlangen, 1882), exemplis ex Afrorum operibus excerptis et congestis, quemdam dicendi morem Afris communem denuntiare conatus est. At quæ conclusit, Th. Vogelius impugnavit (*Jarbücher für classische philologie*, 1883, p. 177, sq., passim); qui quidem Jordani opinioni assentiebatur in hunc modum de *Africitate* locuti : « Africitatis proprietates videbor tetigisse eis qui in hoc vas-« tum tanquam *sterquilinium* omnia conjiciunt quæcumque aut inflati « rhetoricæ disciplinæ tumore litterati homines sibi contra urbani sermonis « classicitatem indulserunt, aut plebecula contra grammaticam peccavit vide-« turve peccasse » (*Vindiciæ latinis sermonis antiquissimi*, 1822). K. Sittl., p. 78. Non dissimili modo locuti sunt Bernhardy (*Geschichte der rœm. Litter.* Anm. 231) et Vollflinius (*Jahrbücher*, p. 184, in nota).

Id tamen, credo, affirmari potest, maxime omnium Afros vulgarem sermonem in quem translata sunt Vetus et Nov. Testamentum, admisisse, primosque eloquium quo variarum provinciarum homines quotidie utebantur, in scripta recepisse, unde evenit ut Afri propriam *dialectum* non haberent. Rursus vero proprium *stylum* habuere. Si enim excerptis ex Afrorum operibus exemplis parumper nitamur, videbimus peculiarem Afrorum morem fuisse sententias prave construendi, et synonymis abutendi et poetica in prosa oratione vocabula miscendi, verba denique pleonastice ponendi, ut tumidas et redundantes sententias efficerent; quorum vitiorum exempla tibi Victor abunde suppeditabit.

CAPUT PRIMUM

DE QUIBUSDAM NOVIS AUT INSOLENTIORIBUS VOCABULORUM FORMIS

ARTICULUS I. — **De nominibus substantivis.**

§ 1. — DE QUIBUSDAM CASUUM FORMIS

Victoris librum evolventi statim cum puri sermonis, tum latinitatis prorsus lapsæ vestigia apparent ; quod quidem mirum videtur in operibus scriptoris qui, utpote in scholis eruditus et ad bene dicendum informatus, non adeo aureæ linguæ sensum amittere poterat, ut pristinam illam declinationum et conjugationum structuram aut non plane intelligeret aut rejiceret. Quod si exculta mente vir ita scribebat, vix effingi potest quanta dissolutione et tabe Afrorum sermo, quinto sæculo, laboraret. Hoc tamen demonstrare aggredior. Quapropter non parvi momenti erit ad illustrandam labentis in Africa latinitatis historiam vocabulorum formas recensere quæ apud Victorem a recto loquendi usu recedunt.

Sæpius enim in ejus libro declinationum formæ et vocabulorum genera et conjugationes ipsæ mutantur ; ita ut jam appareat illa verborum intemperantia et confusio, cunctis romani imperii gentibus communis, unde nascentur aliæ linguæ ciceroniani

sermonis apparatu destitutæ et quas romanicas nuncupavere.

Harum rerum exempla singillatim proferam.

a) Nominativus :

Leguntur *cespis* pro *cespes* (III, 56) ; Armogas (accusativ. Armogastem) (I, 46).

b) Genetivus :

Olibri (*) (II, 2) ; *fili* (*) (II, 58, 62); *Antoni* (*) (III, 43). — Cf. Vergil. : *Capitoli* immobile saxum ; et *negoti, commerci,* apud comicos. *Innocentum* (*) (I, 41) ; *lamentantum* (*) (II, 18).

c) Locativus (?) — Sequentia vocabula ut locativi exempla non recte, notavit Petschenigius (1) :

Ut saltem eum propere moriturum *Carthagine* (*) esse jussisset (II, 27).

Credo autem hoc verbum *Carthagini* pravam esse ablativi formam qui post *verba movendi* non semel a Victore et ab aliis pro accusativo est adhibitus :

Omnes *Carthagini* veniatis (II, 39). *Carthagini* revocavit (III, 39).

Simile exemplum in Actis Concilii africani sub sancto Cypriano, anno 258 habiti, legitur :

Cum in unum *Carthagini* convenissent episcopi plurimi... (2).

d) Ablativus. — Abundant apud Victorem exempla ablativi in *-i*, quæ cum exemplis præcedentibus jungere haud absurdum mihi videtur :

Sequenti (*) die, Christo medente, semper incolumes

(1) V. indicem, p. 153. — Cf. *Handschriftliche Ueberlieferung des Victor von Vita*, p. 40.

(2) Ph. Labbe : *Sacrosancta concilia*, t. II.

(*) *Olibrii* WM. Ruin. Halm. — *Fili* BVL. Ru. H. *filii.* — Antoni BV. *Antonii* R. H. — *Innocentum* BVCWMs. H. *innocentium* Ru. — *Lamentantum* Mss. præter W. *lamentam* Ru. — *Carthagini,* omnes Mss.; Ru. H. — *Sequenti,* omnes Mss; Ru. H.

reddebantur (I, 34). Illo Christi nomen *invocanti* (I, 43). A suo prohibetur Jucundo presbytero *dicenti* sibi (I, 44). Pelles corporis lateribus dorsoque videres et *ventri* pendere (III, 25). Includuntur *graviori* quidem sed adhuc *latiori* custodia (II, 28). *Superiori* pœna... constituimus obligandos (III, 13). Eam *celsiori* loco consistunt (constituunt) (III, 22). Eum *artiori* custodia cinxit (III, 43). Citandum est denique vocabulum *satellibus* (II, 53); quod apud Commodianum quoque invenitur : ... suscipit et proprium *satellem* (1).

Sunt quædam urbium et locorum et fluminum nomina indeclinabilia, ablativi formam habentia :

... *Sicca Veneria* et *Laribus* duas esse civitates (II, 22). In *Ampsaga* fluvium demersit (II, 15).

Vigebat ista scribendi consuetudo apud alios historiarum scriptores et geographos infimæ latinitatis quod sequentibus exemplis illustratur :

Λάριβος (= Laribus) (Procop., *de Bello vandalico*, II, 23). Urbs *Laribus* mediis surgit tutissima silvis (Coripp., *Johan.*, VI, 143). Juxta fluvium *Ira* (Jordan. *Get.*, cap. 45) (2).

§ 2. — DE MUTATIS DECLINATIONIBUS

Aliquoties declinationes mutantur. Videre est :

a) Primam pro tertia :

In *Ellada* (*) (pro in *Ellade*) (I, 51) ; *examina* (*) (pro *examen*) : *examina* apum cereas ædificans mansiones (I, 23).

(1) Petschenig. : *Die handsch iftliche Ueberlieferung*, etc., p. 41.
(2) Petschenig. : *Die Handschriftliche...*, p. 42.

(*) *Ellada* Mss. præter PR : *hellada* ; Bern. *hellade; Hellada*, Ru. H. — *Examen*, Mss. præter L.; *examen* Ru. H.

b) Tertiam pro secunda :

Diacones (II, 16) ; *subdiaconem* (III, 30). — Cf. Concil. Carth. IV (398), can. 17 : Episcopus indigentium curam... per *diacones* agat.

c) Quartam pro secunda :

Vicu (*) Ammoniæ (I, 42) ; *vicus* (*) vel oppida circuibant (III, 48) ; per *vicus* (II, 15) ; per singulos *lectus* (*) (I, 26). — Cf. quæ leguntur in Notitia provinciarum : De *Giru* Marcelli (Numid. 52) ; de *Giru* Tarasi (ibid., 121) ; de *Giru* Montensis (Mauritan. Cæsar. 9) ; de *Foru* Trajani (Sard. 2).

§ 3. — DE CONFUSIS VOCABULORUM GENERIBUS

Mutatur quoque vocabulorum genus. Cujus rei sunt satis multa exempla digna quæ notentur.

Imprimis animadvertendum est neutralis generis vocabula ut masculina a Victore adhibita fuisse ; nam nulla re magis demonstratur quantum plebeii sermonis consuetudini indulserit. Vulgus enim non amplius quam duo vocabulorum genera considerat : masculinum et femininum. Exculti tantum homines quid sit neutrum, quid non, scire et perpendere possunt. Inde evenit ut, evanescente bonæ latinitatis sensu, paulatim neutrale genus interiret, neque postea in romanicis linguis rursum distingueretur. Jampridem, vel Plauti temporibus, apud Romanos vulgari eloquio usos, mos erat masculinum genus pro neutrali ponendi (1); quod, cum semper viguisse

(1) V. Appell. : *De genere neutro intereunte in lingua latina*, p. 79 (Erlangen, 1883).

(*) *Vicu* Mss. præter W : *vico* ; *vici* Ru. — *Lectus* BVPR, *lectos* Ru. H.

apud populum certum sit, quarto tamen sæculo, teste Fortunatiano, multum invaluisse credibile est. Huic opinioni suffragantur inscriptiones latinæ ubi leguntur *castellus, eum* templum, votum *quem* promisit (1).

Invenio apud Victorem :

a) Masculinum pro neutro :

Pergit ad *cubilem* (*) exsilii (III, 44).

At imprimis hic notandum est in casu accusativo adjectiva masculini generis a Victore substantivis neutralibus adjuncta :

Majorem (*) opprobrium (I, 44). *Naturalem* (*) officium (II, 32). Ad se *talem* (*) dedit responsum (III, 27). *Ingentem* (*) sibi adesse credens gaudium (III, 33). *Senilem* (*) adtereret corpus (III, 43). *Communem* (*) sepulchrum (III, 60). — Cf. Passio (14). *Navalem* supplicium.

b) Neutrum pro masculino :

Thesaurum, *quod* (*) invenerat, haberent *communem* (I, 32). *Quoddam* (*) ligni *truncum* (II, 27).

c) Masculinum pro feminino :

Intexti radices (I, 46).

Istam generum confusionem in Victoris libro nemo mirabitur, quandoquidem in plebeio sermone satis multa vocabula duo simul genera habentia invenire erat : *ramentum, i; ramenta, æ; cæmentum, i; cæmenta, æ; terminus, i; terminum; titulus, i; titu-*

(1) *Corpus inscript. latinarum*, VIII, pars II, p. 1110. — Cf. Sal. Reinach. : *Gr. latine*, p. 348.

(*) *Cubilem* omnes Mss. præter BV, *cubile* Ru. H. — *Majus* WCMsaL. Ru., *majorem* H. — *Naturalem* BV, *naturale* Ru. H. — *Talem* BVR, *tale* CWML ; *talem* H., *tale* Ru. — *Ingentem (ingente)* BVC, *ingentem* H, *ingens* Ru. — *Senilem* BVs, *senile* Ru. H. — *Communem* Mss. præter Wab, *commune* Ru. H. — Quod BVR, *quod* H., *quem* Ru. — *Quoddam* H., *quemdam* Ru.

lum. Legitur denique apud Petronium *vinus* pro *vinum* (1). Cf. Plautum (*Aulularia,* 436) : Luci *claro.*

Non debeo præterire (quanquam hujusce rei unum tantummodo exemplum est apud Victorem) pluralis generis neutra, quæ sæpius apud infimæ latinitatis scriptores cum nominibus primæ declinationis, numero singulari adhibitis, confunduntur ; quia hoc obiter ad illustrandam feminini generis in Francogallorum lingua originem multum interest. Postremis imperii romani temporibus, neutra pluralis generis, *poma, grana*, *folia, cornua*, etc., ut *rosa* habebantur et declinabantur. Itaque ista, in gallica lingua ut vocabula feminina numeri singularis habita sunt, unde evaserunt : *pomme, graine, feuille, corne...*

Lego apud Victorem : *Frequens* multarum provinciarum *spolia* (*) (III, 59). Cf. *castram* pro nomine pluralis numeri *castra* (2) ; *mœnia*, *mœniæ* (Anonym. Vales. 67) (3).

§ 4. — DE QUORUMDAM VOCABULORUM INSOLENTIORE USU

Quorumdam, ut vidimus, vocabulorum formas aut mutatas in suum librum recepisse, aut ipsum mutavisse Victorem certum est, at non nova nomina creavisse.

(1) V. Chassang, *Gre fse*, p. 34.
(2) *Corp. inscript. lat.*, VIII, pars II, p. 1110.
(3) Petschenig. : *Handschriftliche Ueberlieferung...*, etc. p. 41.

(*) *Frequens* Mss. præter W ; *frequentia* Ru. H.

Notavi in ejus libro satis frequentem nominum verbalium in *-tor* usum qui frequentissimus exstitit apud labentis linguæ scriptores, et præcipue apud Hierónymum (1). Non deerant quidem hæc vocabula apud aureæ latinitatis auctores : qui tamen iis prudenter et parce utebantur. Iis enim designabant homines munere assignato fungentes, ut videre est sequente exemplo : Crassi *scriptor* et *lector* Diphilus (= gallice, *le secrétaire de Crassus*). Pessime igitur dixisset aliquis : « *lectores* Ciceronis », si homines Ciceronis opera amantes et legentes designare voluisset (2). Eodem modo memorabantur homines qui aliquid seu præclare seu fœde egerant quo apud posteros sibi notitiam fecerant : *conditor* urbis, belli *confector* ; *contemptorque* Deum Mezentius (Vergil., *Æn.*, VIII, 7).

Apud comicos et in plebeio sermone, non observata sunt illa, quæ dixi, discrimina, in nominum in *-tor* usu ; hæc ab adjectivis non distinguebantur. Dixit Plautus : Deus mihi *impulsor* fuit (me impulit) (*Aulul.* 424); neque quem rogitem *responsorem* convenio (Rudens, 153).

Quæ cum jam, antiquis temporibus, ita libere adhibita essent, ecclesiastici scriptores cum quadam libidine nomina in *-tor* usurpaverunt, atque ea, prout novarum rerum exprimendarum necessitas

(1) V. Regnier : *De la latinité des sermons de saint Augustin*, p. 5. Gœlzer. *Latinité de saint Jérôme*, p. 46, sq.

(2) V. Antoine : *Observations sur les exercices de traduction du français en latin*. (Parisiis, Klinsieck, 1882). — Berger : *Lateinische stylistik* (in gall. serm. translat.) p. 144.

aut liberius (qui illis mos erat) dicendi et scribendi voluntas impellebat, formaverunt.

Hanc tamen libidinem Victori non exprobrabimus qui nominibus in *-tor*, ut plebeius sermo, usus est, at non frequentissime; quorum exempla ista notavi :

Crudelibus tormentis *oblatores* urgebant (I, 3) = qui obtulerant aliquid. *Ordinator* memorati sacerdotis (I, 28) = qui ordinaverat. Hujus rei *exsecutor* (I, 39). *Imitator* existens Geiserici patris (II, 14). Sacramenti *violator* (II, 15) = qui *tunc* violabat sacramentum. Aderant ovium *occisores* (II, 22) = qui *tunc* oves occidebant. Solutis crinibus, post *raptores* (pueri) tota urbe currens (mater) (III, 19) = post eos qui rapuerant (puerum).

Sunt quædam nomina in *-tor* quæ, ut bonæ latinitatis scriptores, adhibuisse Victor mihi videtur, quæ tamen in Indice ut minus recte adhibita notavit Petschenigius :

Augustinus librorum multorum *confector* (I, 10). Si *temptatores* suos interficit (Spiritus Sanctus) (II, 95). ... Ejus (Eusebii Cæsariensis) *translator*... Rufinus (III, 61). Ille legis datæ *transversor*... Nicasius (III, 71).

Quod attinet ad cætera verba in *-io*, *-tudo*, *-antia*, *-mentum*, etc., nihil peculiare dicendum habeo.

ARTICULUS II. — **De nominibus adjectivis**

§ I. — Adjectiva in *-bilis*

Hæc solum inveni apud Victorem adnotatione digna : *concupiscibilis* (II, 18); *immarcessibilis* (III, 41).

Attamen permulta sunt, et quæ vix possis recensere, istiusmodi adjectiva apud posterioris latinitatis auctores qui ea cum incredibili libidine formabant. In libro ubi de beati Hieronymi latinitate vir doc-

tissimus Gœlzerius disseruit, innumera recensentur adjectiva quæ lectori puri sermoris amanti risum movere possunt, ut *apertibilis, ascensibilis, exercibilis, implebilis, nauseabilis*, *nutribilis, inapprehensibilis*, et alia non minus deridenda (1). Ista enim mirum in modum abundabant apud quarti et quinti sæculi scriptores ; primamque sane originem a Vulgata trahebant, ubi, inter multa, hæc ipse notavi :

Inconfusibilis (Paul. Timoth., v, 15); *docibilis* (Ibid., v, 24) ; *irreprehensibilis* (Paul. Timoth., II, 8) ; *corruptibilis* (Eccles., XIV, 20); *inexterminabilis* (Sap., II, 23).

§ II. — ADJECTIVA IN *-alis*

Frequentiora vero sunt apud Victorem adjectiva in *-alis :*

Carnalis (II, 29) ; *conjugalis* (I, 30); *episcopalis* (III, 63); *feralis* (I, 9); *generalis* (III, 47); *maritalis* (I, 31) ; *martyrialis* (III, 27) ; *matronalis* (III, 49) ; *mundialis* (Prolog.) ; *navalis* (III, 29) ; *pœnalis* (I, 16) ; *regalis* (I, 48 ; II, 23, 56) ; *specialis* (II, 41 ; III, 8) ; *spiritalis* (I, 32 ; II, 1, 99) ; *temporalis* (II, 23, 26).

Cætera in *arius, osus,* non sunt hic adnotatione digna.

ARTICULUS III. — **De verborum formis**

Confunduntur sæpius apud Victorem conjugationum formæ ; quædam verba deponentia activorum formam habent, et ut passiva usurpantur, quod in quotidiano vulgaris sermonis usu erat. Sic Plauti

(1) Gœlzer. : *Latinité de saint Jérôme,* p. 138, sq.

ætate dicebant : *contemplo* (Amphyt. 249) pro *contemplor*, *insectabit* (Captiv. 267) pro *insectabitur*, *perscrutavi* (Aulul. 384) pro *perscrutatus sum*, etc. Alia verba formam deponentem et activam simul habebant ut *lacrimari* et *lacrimare*, *consolari* et *consolare*, quarum prior solum apud bonos auctores servata est ; alia autem duas formas habuerunt et postea retinuerunt, ut *mereo* et *mereor*.

Res ita se haberet necesse erat. Quædam activa verba cum eamdem quam passiva formam haberent, imperitis fucum, ut ita dicam, faciebant ; qui scire difficile poterant cur *consolari* et *lacrimari*, potiusquam *consolare* et *lacrimare* adhibenda essent, quandoquidem nullo peculiari sensu pleraque verba deponentia a cæteris distinguebantur. Itaque, neglecta hac difficili distinctione, ad exprimendam simpliciter sententiam duas tantum formas, *activam* et *passivam*, haud secus ac duo nominum substantivorum genera sermo plebeius admisit. Litterati autem homines scienter et recte deponentibus verbis utebantur quæ imperiti rejiciebant ; ex quo certamine, quod jam Plauti temporibus fiebat, evenerunt duplices quorumdam verborum formæ quæ postea permanserunt, ut *fabricor* et *fabrico*, *fluctuor* et *fluctuo*, *comitor* et *comito*, etc. Inde quoque evenit ut aliquorum deponentium verborum participia præterita, passivum sensum haberent, vel apud aureæ latinitatis scriptores : *adepta* libertate (Sallust., *Catil.*, I) ; Bellaque matribus *detestata* (Horat. *Carm.*, I, 1, 25). Cicero ipse dixit : *populatam* provinciam

(*Verr.*, 3, 52). Multa quoque verborum deponentium participia in *dus, da, dum,* ut passiva adhibita sunt ab iisdem scriptoribus : *imitandus, admirandus* et alia quæ citare parum interest.

Labente latinitate, in dies rursus invaluit illa antiquorum auctorum et vulgaris eloquii consuetudo; ita ut, sexto sæculo, vel passiva forma rejiceretur, et in ejus locum succedere inciperet verbi *esse* usus participio præterito conjuncti, unde passiva francogallorum conjugatio originem traxit.

Non magis miræ sunt mutatæ cæteræ conjugationum formæ. Omni enim ætate fuere verba quorum conjugatio incerta mansit. Legimus apud Plautum *intuitur* (Capt. 231) pro *intuetur, congrediri* (Aulul. 188), *moriri* (Rud. 425), quod apud Ovidium ipsum, invenitur. Dein, verba quæ, pristinis temporibus, tertiæ conjugationis erant, in primam transierunt : *cubere, cubare ; lavere, lavare,* etc. In aliis verbis prima conjugatio cum secunda aut cum tertia consociatur : *sonare, sonui, sonitum ; lavare, lavi, lautum.* Alia denique ex tertia in quartam concessere. Leguntur in vetere lingua *parire* pro *parere*, *cupiret* pro *cuperet, paribit* pro *pariet,* etc.

Quæ cum ita sint, credo Victorem e medio sumpsisse singulares quasdam conjugationum formas quæ ab aureæ latinitatis scriptoribus rejectæ, rursus, posteriore latinitatis ætate, in lucem prodierunt.

Illæ ordine notandæ sunt :

a) Forma activa legitur pro deponente :

Sortire (*) (I, 31) ; *lucraverunt* (I, 36) ; *partibo* (II, 31) ; *mentires* (II, 86) ; *gloriare* (*) (III, 51) ; *lamentare* (*) (III, 64).

b) Forma activa pro passiva :

Quatientibus tergis (I, 33) (= quæ quatiuntur, quassatis). Lacrimæ *siccaverunt* (III, 50). *Siccaverant* venæ (III, 56).

c) Forma deponens pro passiva :

Sagitta in gutture *jaculatus* (= ictus) (I, 41). A Mauris crudeliter *minabantur* (II, 33).

d) Forma passiva pro activa :

Moriendos (= morituros) (II, 29).

Mutantur conjugationes :

a) Prima pro tertia usurpatur :

Nectabat (*) (nectebat) (II, 45).

b) Tertia pro prima :

Jectis (*) (jactis) (II, 9).

c) Secunda pro tertia :

Dicebit (III, 36).

d) Tertia pro secunda :

Videam (videbo) (III, 51).

e) Quarta pro tertia :

Carpiunt (III, 66). Citanda sunt denique *capessuri* (III, 67), *parciturus* (II, 13), atque neutra verba pro activis habita : *Consistere* : Eam celsiori loco *consistunt* (*) (III, 22). *Exsulare* (= in exsilium mittere) (II, 14). Suum nequaquam *sederet* thronum (II, 8).

(*) *Sortire* BVCM, *sortiri* Ru. H. — *Gloriari* BV. Ru. H. — *Lamentare* BVaL, *lamentari* Ru. H. — *Nectæbat* VC., *nectebat* WMsaP., *nectabat* H., *nectebat* Ru. — *Jectis*, Petsch. H., *jactis* Ru. — *Consistunt* Petsch. H., *constituunt* Ru.

Adnotandus est quoque verborum simplicium et compositorum usus apud Victorem.

Dici statim potest omne in istorum significatione et usu discrimen deletum fuisse, quod fuit proprium labentis linguæ, cum scriptores imprimis rotunda et redundantia verba quærebant. Aurea ætate autem peculiarem et definitum sensum habebant verba quibus addebatur præpositio.

At contra ponuntur, sine discrimine, apud Victorem :

a) Compositum verbum pro simplici :

Enecare (= necare) (I, 9) ; *pervidere* = videre (I, 27) ; *compromittere* (II, 41) ; *perdocere* (II, 71) ; *prævalere* (II, 76) ; *abnegare* (II, 96) ; *prædamnare* (III, 5) ; *computare* (III, 22) (= imputare) (III, 48) = putare.

b) Rursus simplex pro composito :

Firmare = confirmare (I, 23). Cf. II, 24 ; *ligare* = colligare (I, 37) = alligare (II, 14) ; *carpere* = discerpere (I, 37) ; *ferre* = auferre (I, 50) ; *ponere* = deponere (II, 33) ; *temnere* = contemnere (poetic.). Vid. Vergil. *Æn.*, VI, 620 : Discite justitiam moniti et non *temnere* divos. (Cf. VII, 236 ; Horat., *Sat.*, I, 1, 116). *Tenere* = continere (III, 8) ; *vulsis* = evulsis (III, 26).

Denique mutantur, manente eodem sensu, præpositiones verbis adjunctæ, quod ἐναλλαγὴν præpositionis dicunt. Sic ponuntur :

Convenire pro evenire (I, 11) ; *respicere* pro suscipere (I, 43) ; *adurere* pro comburere (II, 16) ; *agnoscere* pro cognoscere (II, 39) (Cf. II, 41, 42, 43) ; *aspirare* pro inspirare (II, 77) ; *conspicere* pro adspicere (III, 40) ; *adterere* pro conterere (III, 43).

CAPUT II

DE QUORUMDAM VOCABULORUM NOVA AUT INSOLENTIORE SIGNIFICATIONE

Ea quæ diximus de mutatis inter se declinationum et conjugationum formis, corruptam latinitatem minus testantur quam permulta illa vocabula quæ, quamvis pristinam formam retinerent, a sensu antiquitus usitato prorsus recedebant. Mutata enim hæc vocabulorum quam apud Victorem notavi significatio, non ei aut cuilibet ejusdem temporis scriptori peculiariter objicienda est. Necesse est autem affirmare eum, etsi Tullium aut Vergilium, ut videbimus, sæpissime imitari voluerit, res haud aliter quam suo tempore designarentur, verbis designare potuisse ; unde colligendum est illam vocabulorum, dicam, depravationem, velut inveteratum malum, istiusmodi causis effectam fuisse quas reprimere boni auctores, quinto sæculo, frustra tentavissent. Has quidem causas inquirentes grammatici solent scriptores ecclesiasticos incusare quod maxime omnium, latinum sermonem, adhibita insolente verborum significatione, depravaverint. Eos facile fateor novum quibusdam vocabulis sensum addere debuisse, ut res divinas exprimerent. At, contra, quot verba minime ad novum Christi cultum pertinentia,

sensum pristinum jampridem amiserant! Ex quo enim Romanorum lingua devictis populis imposita fuit, cum eam ubique docti indoctique, commixto nativo sermone, loquerentur, in deterius labi cœpit; nam, exempli gratia, non est dubitandum quin, apud Afros, punico sermoni quem adhuc, quinto sæculo, colebant, latinus sermo consociaretur. Immo, in diversas imperii provincias divulgabantur a militibus cum plebeio Romanorum eloquio vernaculæ Italorum linguæ, quas recipientes Galli, aut Hispani, aut Afri mutabant, ut sibi accommodarent; sicque paulatim nulla loquendi lex, nihil aliud, nisi libido, viguit. Quid autem in omnibus rebus possit imperitorum libido, quis nescit? Nonne iisdem causis factum est ut quædam Germanorum vocabula a Francis in Gallias importata, vero sensu amisso, pejorem acciperent? Ita ex vocabulo *Buch* (liber) *bouquin* evenit (vetus aut nullius pretii liber); ex *land* (regio) *lande* (terra infertilis); ex *ross* (ardens equus) *rosse;* ex *herr* (dominus, herus) *hère* (egens, mendicus)... Quid plura? Cum populi lingua ejus sit imago, latina lingua ruentis imperii romani vices secuta, tantummodo cum novo rerum regimine renovari et recreari poterat.

Scriptor fortasse nullus, inter latinos, est qui magis quam Victor ostendat qualis fuerit, quinto sæculo, latinæ linguæ corruptio, quod attinet ad mutatam vocabulorum significationem. Cujus mutationis duæ imprimis causæ mihi fuisse videntur: nempe frequens verborum translatio (apud Græcos τρόποι)

auctusque primus eorum sensus, quæ Afris summopere arridebant.

Ut aliqua solum exempla hic recenseam, sæpe causa pro effectu ponitur : *Condemnatio* (III, 9) ex qua pœna oritur, *pœnam* ipsam significat. Cf. *promulgatio* = decretum (III, 13), *cædes* = verbera (III, 34), *fustes* = fustium verbera (II, 54), etc., etc.

Pariter res non ipsæ nominantur, sed suis proprietatibus designantur : *Aula venerabilis* (I, 4), *domus orationis* (I, 4) = ecclesia, et multa alia a scriptoribus illius ætatis adhibita qui περιφράσει uti quam proprie dicere malebant. Citanda sunt quoque *dormitio* (I, 45); *resolutio* (I, 45) = mors; *Altissimus* = Deus (II, 78); *relicta* = vidua (II, 2), etc.

Multo frequentius tamen reperire est primum vocabulorum sensum amplificatum. Sic verbo *parturitio* (II, 11) quo partus dolor olim definiebatur, quemvis dolorem Victor designat ; idem dicam de verbo *argumentum* (II, 45) non jam quamdam fraudis viam, sed fraudem ipsam significante, et de verbo *contubernium* (II, 11), quo intelligebant communem ducis et militis sub eadem taberna vitam, *turbam* apud Victorem designante. *Exercitus* non gentis pars sed ut gens ipsa habetur (I, 13; III, 60). Cf. gallic. *la nation armée*. Item *cremare* (igne urere) = quovis supplicio cruciare (II, 24; III, 26); *militare* (stipendium facere) = officio aliquo fungi in aula (II, 23; III, 9); *tripudiare* (sacra ante deos saltatione gaudere) = quolibet gaudio exsultare (III, 27); denique *despicare* (avis plumas vellere) = e tecto

tegulas eruere (I, 8), et ejusmodi alia quæ abunde in indice sequente lector ipse videbit :

§ I. — De nominibus substantivis

Aditus = facultas, copia : Ut nullus eis locus esset vel *aditus* supplicandi (III, 8). Cf. accessus = potestas (III, 33).

Agger publicus = via publica (II, 36).

Ambitus = spatium, regionem : Totius Africæ *ambitum* (Geisericus) obtinuit (I, 13).

Antistes = episcopus (I, 10, 26 ; II, 49). Templi custodem hæc vox olim significabat (Tit. Liv., XXIII, 11).

Argumentum = ars, fraus, dolus (II, 45). Cf. argumentatio (I, 21).

Audientia = disputatio (II, 55 ; III, 1).

Aula venerabilis = ecclesia (passim).

Cædes = verbera (III, 34). Cf. fustes = fustium verbera (II, 54).

Camisia = gallic. *chemise* (I, 39). Invenitur hæc vox apud Hieronymum (*Epist.* 64, de Vest. mult.), et apud Isidorum Hispalensem (Orig., 19, 22) (1).

Castra = oppida (I, 9). Cf. Corippum : Castra = castellum (Johannides, IV, 41) et exercitus (VII, 31).

Cespis = ager (III, 55, 56, 57). Cf. S[tum] Ambrosium : *Cespes* angustus (ad sepulturam) æque abundat diviti et pauperi (De Nabuthe, cap. I, sq.).

Civitas. Ponitur apud Victorem pro *urbs*, qui mos est omnibus ecclesiasticis scriptoribus communis. Cf. Vulgat. : Marc., VI, 56 ; Math., II, 23 ; IV, 5, 12, et passim (2).

Condemnatio = pœna, mulcta (III, 9, 11).

Confusio = pudor (II, 51, 99) : Oppressi *confusione* lumen non poterant nubilare (II, 51). Cf. Tacit. (Hist. IV, 40) : Crebra oris *confusio* pro modestia accipiebatur.

Constitutio = lex (II, 13 ; III, 12). Cf. Cod. Theodos. (passim).

(1) Gælzer. : p. 93. — Diez : *Grammaire des langues romanes*, p.

(2) V. Vœllflin. apud Gælzer. : *Grammatic. observationes in Sulpic. Severum*, p. 27.

Contentio = disputatio, conflictus (III, 4). Unde gallicum verbum : *contentieux*. Cf. August. (Epist. 22, c. 11) : ... de *contentione* et dolo quid me attinet dicere ?

Continentia (III, 7) (ex verbo *continere*) : ... sic enim calumniosa series *continebat* (Victor, III, 19). Unde gallic. *le contenu, la teneur*. Cf. Sedulium (*Opus pasch.*, V, 120) : Secundum *continentiam* psalmi.

Contubernium = turba (II, 11).

Conversatio (operum bonorum) (I, 36) = gallic. *pratique*.

Corona = martyrium (I, 50 ; II, 30, 34 ; III, 41).

Creatura = mundus (II, 77). Cf. Vulgat. (passim).

Domus orationis = ecclesia (I, 4).

Dormitio = mors (I, 45). Hunc sensum habet in Vulgat. apud Augustinum et apud omnes ecclesiasticos scriptores (Vulgat., XI, 17 ; August., *Serm.* 264, nº 6). Cf. frequens apud eos et in inscriptionibus verbum *obdormire* : *Obdormivit* in Domino.

Editio vocis (II, 78). Cf. gallic. *émission de voix*.

Elatio = superbia (Prolog. 2 ; II, 53). Hoc vocabulum frequenter, at in bonam partem, aureæ latinitatis ætate, usurpatum est : *Elatio* atque magnitudo animi (Cicero, *de offic.*, I, 19, 64). *Elatio* atque altitudo orationis (Brut., 17, 66) = gallic. *élévation, noblesse du style*.

Essentia (II, 56, 57) = græc. οὐσία. Legitur apud Quintilianum (*Inst. orat.*, II, 14). Cf. August. *essentialiter* (*de Trinit.*, 7, 2).

Exercitus = gens (I, 13 ; III, 60).

Evectio navalis = navigatio (III, 29). Cf. evectio publica (Cod. Theod., VIII, 5) = gallic. *voitures publiques*.

Factura = creatura (II, 69).

Fœx = ignominia (III, 32).

Femina, masculus, mares (frequentissime pro *mulier, homo* et *viri*). (Vid. Vulgat ; Paul. ad Galat. I, 9).

Funus = cadaver (III, 58).

Gratulatio = gaudium (I, 35). Cf. gratulari = gaudere (III, 65).

Hospites = peregrini (I, 7).

Mansio = domus (I, 23). Gallic. *maison, appartement*. (Cf. Sulp. Sev., apud Gœlzer., p. 19, sq.).

Necessitas = munus publicum (III, 13).

Objectio = crimen : *Objectionibus* falsis insectans (II, 14).

Ordo = propositum (Gallic. *but*) : *Ordinem* visitationis suæ dicit illi = *le but de sa visite* (II, 49).

Ostensio (II, 9; III, 35). Invenitur solum apud Afros. Vid. Apul. (Metam. 3); Tertullianum (adversus Marcionem, 5, 11) (1).

Pars = regio, terra : In *partibus* Thraciæ (II, 41). In Africæ *partibus* (III, 27). Cf. Lactant. : in *partibus* Orientis (*de Mort. Pers.*, X, 10).

Parturitio = dolor (II, 11).

Passio = morbus (III, 44).

Pernicies = error, hæresis (III, 8, 10).

Pignera = liberi (I, 25). Unde gallic. *gages de l'union conjugale.*

Plebs = laici (II, 41).

Præceptum = edictum (II, 38, 41).

Promulgatio = decretum (III, 13).

Prosecutio = custodia militaris (Cf. Cod. Theod., XVI, v, 52). Petschenig. (*Index*).

Resolutio = mors (I, 45), id est *dissolutio* animi et corporis.

Retentio = possessio : *retentio* Africæ (III, 59), quod a jurisconsultorum lingua Victor mutuatus est : *retentio* dotis = gallic. *droit de garder la dot* (Papin. Digest. 31, 1, 79) (2).

Sacerdos = episcopus (I, 5, 10, 28; II, 6).

Secretum (passim) = gallic. *secret.*

Serpens = diabolus (passim) ut in Vulgata et apud omnes ecclesiasticos scriptores. — Cf. *serpentina* proles Arianorum = la *diabolique* engeance des Ariens (III, 63).

Subreptio = dolus, fraus (III, 13) ex verbo *subrepere, obrepere* = fallere. Vid. *Concil. africanum* (407), can. 64. Labbe, II, p. 1113.

Substantia = bona (I, 35, 48, 50; II, 23; III, 2, 15, 16, 53, 63).

Titulus = munus, dignitas (III, 13).

(1) Dr Freund : *Grand dictionnaire de la langue latine.*
(2) *Ibidem.*

Verecundia = ignominia, turpe aliquid (III, 53). Cf. confusio = dedecus, pudor (II, 51, 59).

Virgulta = arbores (III, 55).

§ II. — De nominibus adjectivis

Alieni = ethnici (III, 61), nempe qui sunt extra Ecclesiam. Cf. qui foris (II, 6) (= extra Ecclesiam) sunt.

Alleluiaticus : *alleluiaticum* melos = quod gaudium affert (I, 41).

Altissimus = Deus (II, 78). Frequentissime usurpatus apud ecclesiasticos scriptores. Unde gallic. *le Très-Haut.*

Calumniosus : Futurus dies ille *calumniosus* (II, 52). Sic *calumniosa* series continebat (III, 19).

Consubstantivus : Quem Patri et Filio *consubstantivum* credimus (II, 75).

Delicatus (III, 33) = gallic. *délicat.*

Distentus = longus : per itinera *distenta* deserti (I, 37).

Diversus = varius : Audientiam *diversis* cavillationibus declinavit (II, 55).

Femoralia : Sibi camisias et *femoralia* faciebant (I, 39).

Fortis = gallic. *probant* : ... tale aliquid, immo *fortius* quiddam (II, 87) = voici une preuve encore plus *forte.* Accipe huc aliquid *fortius* (II, 98) = voici qui est bien plus *fort.*

Fractus = fragilis : turbam navibus *fractis* impositam (I, 15).

Habilis = agilis, validus (II, 37), ut in vetere Gallorum lingua in qua adjectivum *habile,* cum de personis mentio fiebat, significabat *agile, léger, dispos :* Quatre cents compaignons tous *habiles* et légers (Froissart, I, 1, 135). ... Je qui souloye estre *habile,* Suis débile, Cassé de corps (Marot, IV, 282). Cf. Molière, *Tartuffe,* V, 4 :

.... Il vous faut être *habile*
A vider de céans jusqu'au moindre ustensile.

Laboriosus = miser : Ut *laboriosam* caperent mansionem (II, 35).

Macilentus : Cœpit grana vacua *macilenta*... projicere (II, 19). — Hoc adjectivum tempore Plauti jam in vulgari eloquio usurpatum erat (II, 37) (Plaut. Captiv.).

Necessarius = utilis (I, 9, 19, 20).

Nimius = magnus (I, 35). Cf. *nimis* quod in plebeio

sermone et apud Victorem significabat *valde*, *multum* (I, 23; II, 96). Cf. Plaut. (Amph., 27) : *nimis* ferociter. Térent. (Eunu. 49) : *nimis* vellem.

Palmatus = incisus in modum foliorum palmæ (I, 33) (Petschenig., *Index*). Cf. Dracont. Hexæm., I, 275 : Cervus in arva fugax *palmatis* cornibus errat. Unde gallic. *palmé* (botan.).

Relicta = vidua (II, 2).

Reprobus = non aptus (II, 19). Grana... simulagini *reproba*.

Sæcularis = quod ad res terrenas pertinet : Affatis *sæcularibus* invitabat (I, 47). Cf. temporalis (II, 23, 26).

Singularis = solus (I, 49).

Toxicatus : edicta veneno *toxicato* transversa (III, 15).

Transversus = plenus (ibidem).

Verecundus = aliquid pudendum : *Verecunda* membra nolite nudare (III, 22).

Veteranus = vetus (II, 15).

Vindictrix : *Vindictrix* ira (I, 35).

Universus = totus, omnis (passim). Cf. Lact. : *universos* persecutores... debellavit (*de Mort. persec.*, L).

Urbicus = Romæ incola (I, 27).

§ III. — **De Verbis**

Accipere = intellegere (II, 78).

Adstruere = narrare (III, 31).

Agere (frequenter et varia significatione usitatum) : *Agens* cum eis (I, 33). Cœpit mitius et moderatius *agere* (II, 1). Missas *agere* (II, 4). Blandis sermonibus cum Dei confessoribus *agere* (II, 28). Dum iter *ageremus* (II, 30). Hoc *agebat* Eugenius (II, 44). *Agens* argumentationibus crebris (II, 45). Conventus *agere* (III, 8).

Amplexare (III, 24). Cf. Hieron. apud Gœlzer. (p. 446).

Amputare = delere (III, 5).

Apostatare (III, 34).

Arpagare (III, 63) Plaut. *Aulul.* 143 : *harpagare*.

Artare = cruciare (III, 22, 46).

Aufugare = ad fugam cogere (I, 14).

Autumare = existimare (I, 5). Cf. Plaut. *Amph.* 116.

Bajulare = portare (III, 35). Cf. Joan., IX, 17 : *Bajulans* sibi crucem.

Captivare = capere (I, 12).

Censere = imperare (II, 23).

Coartare = cogere (I, 39).

Cogitare = statuere (= Gallic. : *imaginer*).

Cognoscere = scire (I, 49). — Cognoscor = græc. δῆλός εἰμι : Ubi ecclesia ne unius nummi habere *cognoscitur* facultatem (II, 7). Dilationem aliquantorum dierum dedisse *cognoscimur* (III, 5). Cf. *demonstror* (II, 30, 82), *manifestor* (II, 74).

Computare = credere (I, 28; II, 9), cogitare, in animo habere : Quod... facere *computatis* (III, 22); unde, sine dubio, hoc gallicum : ce que vous *comptez* faire.

Concrepare = strepere (II, 49).

Continere (intrans.) = gallic. *contenir* : Sic enim calumniosa series *continebat* (II, 3). Cf. *continentia* = gallic. *la teneur, le contenu* (III, 7).

Credere = velle, statuere : *Credidit* Vandalus Martinianum Maximamque conjugali consortio sociare (I, 30).

Cremare, concremare = cruciare : *Cremantes* gravi suspendio (II, 24; III, 26). Cf. Cod. Theod. x, iv (Legis interpretatio) : Incendio *concremari*.

Crepare = dirumpi : Nervi, ut fila araneaum *crepabant* (I, 43).

Crispare (intrans.) : *Crispantem* benedixit alveum fontis (II, 50). Fontium *crispantes*... siccaverant venæ (III, 56). Cf. Hieronym. : *crispantia* maris æquora = gallic. *surface ridée de la mer* (1).

Cubitare = concumbere (I, 31).

Dealbare = album facere (I, 7); quod sæpissime apud ecclesiasticos scriptores usurpatum est, et in Vulgata.

Defendere = sibi arrogare : Insulas maximas sibi *defendit* (Geisericus) (I, 13).

Delegare = imperare (I, 37).

Depopulari = rapere (I, 39).

Despicare = frangere : Tectis *despicatis* pulchritudinem parietum solo æquabant (I, 8).

Destinare = mittere (I, 37; II, 3, 26, 32, 38; III, 21, 38, 47).

Diffamare = pervulgare (Prol. 2).

(1) Freund, Quicherat : *Dict. de la langue latine*.

Differre = infamiam alicui facere : quare *differimur* (III, 16) ?

Dimiterre = sinere (I, 40 ; II, 33).

Ebullire vermibus (III, 71).

Evaginare (I, 41). Cf. Vulgat. Judith, XIII, 9 : Cumque *evaginasset* illum pugionem.

Excurrere (III, 5). Notanda est hæc locutio : A mille et quod excurrit = Gallic. : *mille et plus.* Cf. Optat Milev. : Ante annos sexaginta *et quod excurrit* (I, 13). Legitur quoque hæc locutio apud Julium Paulum jurisconsultum (Vid. Quicherat (verbo *excurrere*).

Explicare = finire (II, 7).

Expoliare = vestibus exuere (III, 22).

Exterminare = vastare (I, 3).

Fustigare (II, 45). Cf. Cod. Theod., IX, 29, 9 : Si ingenua et vilior persona est, *fustigetur.*

Gratulari = gaudere (III, 65). Cf. Vulgata (Psalm. XXXIV, 26) : Erubescant qui *gratulantur* malis meis.

Imminere = curare, operam dare. Qui huic rei non *imminebant* (III, 11).

Impendere = irruere, irrumpere : Quaquaversum impietatis agminibus *impendebant* (I, 3).

Indicare = narrare (Prol. 4 ; II, 49).

Mancipare = tradere (I, 9 ; II, 16). Cf. *mancipia* = servi, et gallic. : *émancipé.*

Militare = fungi aliquo officio in aula (II, 23 ; III, 9). Apud bonos auctores autem : stipendia facere, in bello esse.

Novisse = posse : Dominus *novit* esurientibus cibum porrigere (III, 38).

Præsumere = invadere, rapere : *Præsumpta* fisci viribus jungerentur (III, 8).

Petere = supplicare (II, 42) : *peto* magnificentiam tuam.

Promereri = impetrare (III, 13).

Propinare = dare (Prol. 1 ; I, 11).

Proponere = jubere (III, 7).

Suggerere = monere, suadere (I, 35 ; III, 45).

Tractare (populo) = concionari (II, 4).

Transvadare (I, 1) : *transvadans* per angustias maris.

Tripudiare = gaudere : qui *tripudians* in Domino,

martyrialem coronam accepit (III, 27). Cf. tripudium apud Hieronym.: *Tripudio* effertur animus meus (Gœlzer., p. 253).

Videri = gallic. *être vu* : Ubi munitiones aliquæ *videbantur* (I, 9). Amissis ecclesiis et rebus, occurrere *visi sunt* supplicantes (I, 7).

Vindicare (sibi) = impetrare (I, 7).

CAPUT III

DE SYNTAXI

ARTICULUS I. — **De nominibus substantivis.**

§ 1. — DE NUMERO

Mos est poetarum pluralem numerum pro singulari, ut *pectora* pro *pectus, somnos* pro *somnum,* etc., ponendi; qui mos est quoque Victoris. Hæc in ejus libro recensui exempla :

Cutibus (II, 25); *stercora* (II, 32), *stercoribus* (III, 16); *cadavera* animalis (II, 36); *somnos* (II, 48); *ignibus* (III, 10); *livores* (III, 28); *tribunalibus* (III, 51); *populi* (I, 24; II, 1, 18, 24, 51; III, 9, 53), quod ut Afrorum proprium notat Karl Sitllius (1).

His sunt addenda abstracta pluralia ; quæ tamen antequam recenseam, mihi de nominum abstractorum apud Victorem usu agendum est.

(1) *Die lokalen Verschiedenheiten des Lateinisch. Sprache* (p. 108).

§ 2. — DE NOMINUM ABSTRACTORUM USU

Nihil est, ut vult grammaticorum opinio, labentis linguæ majus indicium quam frequentior abstractorum vocabulorum usus; quia eo magis sermo latinus ad finem vergebat, eo frequentius illa vocabula in honore erant. Attamen omnes cujuslibet temporis scriptores abstractis nominibus, aliquoties pro *concretis* usi sunt. Livius non dubitavit *matrimonia* pro *uxores* dicere (1). (Cf. λέκτρα = conjux in Euripidis Medea (v. 1026). Nemo ignorat hoc Taciti : *plenum exsiliis* (= *exsulantibus*) mare (2), et alia quæ in hoc opusculo referre non vacat.

Certum est aureæ latinitatis auctores verbis quibus res aut personæ ipsæ nominarentur quam iis quibus rerum aut personarum genera designarentur uti maluisse. Quædam tamen horum in usu quotidiano erant ut *juventus* = *juvenes, nobilitas romana* = *nobiles romani*. Postea, in dies invaluit consuetudo nomina abstracta pro *concretis* ponendi, primo apud poetas, deinde apud eos qui soluto sermone scribebant. Nam quasi eos ciceroniani eloquii tandem tæderet, aut inusitatam latinæ linguæ viam aperiendi cupiditas impelleret, novum quoddam dicendi genus sibi fecere, atque liberiore vocabulorum usu eminere studuerunt. Jam ante Quintiliani tempora, vigebat in scholis studium illud mentem callida et nova verborum junctura percellendi,

(1) O. Riemann : *Grammaire et langue de Tite-Live*, p. 42, sq.
(2) *Hist.*, I, 1.

quod omnibus qui scribebant mox fuit commune. Fuere qui in quibusdam locis, dum possent verbis uti quæ *concreta* solent appellari, abstracta adhiberent, inter quos Phædrus qui *colli longitudinem* potiusquam *collum longum*, et *tua calamitas* potiusquam *tu miser* dicere maluit; quibus exemplis allatis notat vir doctissimus Nisardus novum illum scribendi morem, jam Neronis ætate, increbuisse (1). Hanc viam postea secuti sunt qui præteritos vivendi mores quam præteritam dicendi consuetudinem servare malebant (2); atque ita paulatim factum est ut non spernendi auctores, jam tertio sæculo, non uno et proprio vocabulo, sed abstractis verbis genetivo conjunctis sententiam exprimerent. Notatur, ut labentis linguæ documentum, hoc Sedulii : *aquarum natura* (pro *aqua*) deficiebat (3). At, hercle, eodem fere modo sæpe locutus est Sedulio antiquior et multo dicendi arte præstantior Arnobius, Lactantii magister, cujus hæc, inter multa, exempla obiter referre juvat :

Admirationibus virtutum sublevatos(*Adversus nationes*, V, 31). *Ardoribus avaritiæ* flagrare (II, 1). *Asperitatibus saxorum* propinavit (V, 11). *Æqualitatis compensatione* librata (II, 49). *Voluptatum diffusione* mollescere (VII, 4). *Putredinis carie* relaxari (VI, 16) (2).

Hæc exempla, in dies frequentiora, innumera exstant apud Hieronymum et cæteros ecclesiasticos scriptores.

(1) Nisard : *Poëtes latins de la décadence*, t. I, p. 46, 47.
(2) Avienus apud Macrobium (*Saturnal.*, I, 5, 21).
(3) V. G. Boissier, *Revue de Philologie*, 1882, p. 35, sq.
(4) Cf. Optatum Milevit., *Corp. inscript. latin.*, Vol. XXVI (Indic.).

Minus rectum esset ea omnia vulgari eloquio imputare, quamvis apud comicos non desint. Quodam enim mentis acumine opus est, si quis vult callide et commode abstractis verbis uti ; adeo arduum est aliquando dijudicare utrum ea bene an male adhibeantur, ut mediocres scriptores, cum ex iis styli lepores quærant, stylum vitient, nedum exornent. Hoc accidisse fateor quarti et quinti sæculi scriptoribus, unde, credo, opinio vulgata est frequentem abstractorum vocabulorum usum nihil aliud quam labentis sermonis latini signum exstitisse. Mihi autem videntur solum incusandi scriptores, non per se ipsum vituperandus illorum vocabulorum usus ; quæ si bene fuissent adhibita, utilem et gratum latinæ linguæ profectum testarentur.

Victori Vitensi, ut omnibus Africæ scriptoribus multum arriserunt illa vocabula (1); quorum quædam Victor feliciter usurpavit, qui sibi, ante omnia, assidue proposuit res legentis oculis, vividis imaginibus, subjicere, quod sæpe boni auctores abstractis vocabulis consequuntur, simul eam vim et gratiam sermoni addentes quam apud aureæ latinitatis scriptores non semper reperies. Non diffiteor tamen Victorem abstractis vocabulis intemperantius fuisse usum. Quod quatenus verum sit, exemplis sequentibus videndum est :

a) Sæpissime Victor nomen abstractum quo designatur personarum aut rerum συναγωγή, concretis

(1) Hoc *Africitatis* signum quibusdam grammaticis visum est (V. Corssen apud K. Sittl.) (*opere citato*), p. 107.

personarum ipsarum aut rerum nominibus anteponit :

Barbarus furor *insontem infantiam* elidebat ad terram (I, 7) = insontes infantes. Cf. III, 49. Optat. Milev. : *ignorans* polluebatur *infantia* (III, 8). — (Munitiones) quas *hostilitas* barbarici furoris oppugnare nequiret (I, 9) = quas *hostes barbarico furore*, etc. Multitudo *captivitatis* (I, 25) = multitudo captivorum. Antiquam illam... *libertatem* in servitutem redegit (I, 12). Cf. *Libertatem* de servitute liberare (I, 25) = homines liberos. *Sepultura* = sepulchra (II, 36). Sine *universitatis* adsensu (II, 42) = sine omnium (episcoporum) adsensu. *Iniquitas* (III, 10) = inimici.

b) Pariter utitur Victor nomine abstracto cum genetivo, pro nomine concreto cum adjectivo ; quia rerum proprietates, potiusquam res ipsas intueri videtur, quod, credo, ad exornandum stylum multum confert. Ita cum dicit : *pulchritudinem parietum* solo æquabant (Vandali) (I,8), non parietes tantum sed multo magis picturas aut alia ornamenta quibus decorabantur vult considerari. Eadem fere notanda sunt in exemplis sequentibus :

Speciositatem terræ depopulabantur (I, 3). *Lignorum* soluta est *fortitudo* (I, 34). *Magnitudo* consumpta est *gregis* (II, 22). Æqualitatem *distinctionis* (= distinctarum) *personarum* (II, 79). Cogitavit *multorum pia simplicitas* (III, 19). Dum *majestas* venerit *judicantis* (III, 36). *Asperitate cilicii* adtereret corpus (III, 43). Nulla succurrente *sustentatione ciborum* (III, 52). Ut nulli *ætati*, nullo *sexui* parceretur (III, 21).

Cf. Lactantium, qui utpote purioris sermonis amantissimus dixit :

Omnis *sexus* et *ætatis* homines ad exustionem rapti (*de Mort. Persecut.*, XV).

Optatus Milev. autem :

Contrivistis *sexus*, vexastis *ætates* (III, 7).

c) Rursus, post nomen abstractum, Victor ponit adjectivum in locum genetivi personam aut rem designantis, quod quidem non raro apud aureæ latinitatis auctores fiebat :

Barbarus furor (I, 7) = Barbarorum furor... Placuit *tyrannicæ* (= tyranni) potestati (III, 2)... Miseratio *christiana* (= christianorum) (III, 38). Quos violentia *hæretica* revocavit (III, 39). Cf. *hæretica* feritas (III, 44). Cogitavit impietas *ariana* filios separare (III, 50). *Barbara* ferocitas (III, 63).

d) Venio denique ad pluralem numerum nominum abstractorum quibus sane ut cæteri Ecclesiæ scriptores (1), Victor abusus est :

Impietates (I, 12) ; *impietatibus* (I, 28) ; cubiculi *secreta silentia* (I, 31) ; *afflictionibus* (I, 44) ; *primordia* regni (II, 1) ; *jura* verecundiæ (II, 24) ; *jura* naturæ (III, 21 ; *squalores* carceris (II, 33) ; *multitudines* (II, 34) ; vociferationis *tumultus* (II, 53) ; condicionum *necessitatibus* (II, 65) ; *diversitatum* (II, 22) ; *diversitates* (II, 100) ; apostolicis *traditionibus* (II, 101) ; *spatia* temporis (III, 4) ; fidei *sacramenta* (III, 25) ; *fœdera* conjugalis amoris (III, 26) ; *vultus* cespitum (III, 55).

His tamen nominibus plurali numero adhibitis non tam audacter usus fuisse Victor mihi videtur quam cæteri Africæ scriptores, excepto Lactantio, inter quos beatum Augustinum, Optatum Milevitanum et Arnobium nominabo (2).

§ 3. — DE CASUUM SYNTAXI

Apud auctores probæ latinitatis casus proprium et definitum sensum habebant, qui, postea, prævalente libidine, in pejus mutatus est.

(1) Vid. Gœlzer., *Latinit. de saint Jérôme*, p. 300, sq.

(2) Vid. Régnier, *Latinité des sermons de saint Augustin*, p. 90, sq. — Optat. Milev. (*Corp. script. eccl. Vindobonæ)*, v. XXVI (Indices) ; Arnobium (*Corp. script.*, etc.), v. IV (Indic., passim).

Principio, ut docent grammatici, nominativus erat casus *subjecti ;* accusativus autem verborum transitivorum *objectum* significabat, et personam atque locum in quem actio verbi intendebatur, indicabat. Genetivo exprimebantur quæ personarum aut rerum propria erant ; sic enumerantur a grammaticis genetivus *qualitatis*, genetivus *possessivus*, genetivus *materiæ,* etc. Dativus *attributionem* generatim, ablativus *originem* indicabat.

Ita casus, per se ipsos, ad exprimendas cogitationes varias sufficiebant. Sed, labente latinitate, nihil certius casus significaverunt, præpositionibusque cum casibus usi sunt scriptores, ut sententias plane redderent ; quo fit ut in articulis ubi de casuum usu disseritur, de præpositionibus justa et opportuna mentio sit (1).

I° *De casu accusativo*

a) Inveniuntur apud Victorem accusativi exempla qui græcus dicitur ; quem, cum in Vulgata et apud omnes ecclesiasticos scriptores reperiatur, minime dubitandum est quin plebis homines a Græcis in quotidianæ vitæ usu mutuati sint (2) :

Torrentem deliciarum ejus potatus (I, 49). Induisti te *maledictionem* (III, 36). Repletam porcorum *multitudinem* (*) (II, 18).

Hæc dicendi consuetudo, omni ætate, frequens

(1) Vid. F. Antoine : *de Casuum syntaxi Vergiliana,* ubi luculenter casuum sensus et usus explanantur (Parisiis, Klinsieck., 1882).
(2) V. A. Kœhler. apud Gœlzer. (*de latinit. Sulp. Sev.*), p. 38.

(*) Sic BV.

fuit apud poetas ; in soluta oratione, a Quintiliani temporibus præsertim invaluit (1).

b) Frequentius accusativus legitur cum infinitivo, post verba *facere*, *mandare* :

Statuit *omnem multitudinem* numerari (I, 2). Factum est *episcopum* ordinari. (Quod) facit expendi (III, 3). *Retentos* judicio non facerent præsentari (III, 11). Faciebant vagari *pendentem* (III, 31). *Corpora* trahi mandavit (II, 15). *Quæ* sepeliri concessit (II, 15). *Quos* ab omnibus supradictis abstinere decernimus (III, 12). Petivit *sese* deponi (III, 28). *Nullum* introire permitteret (III, 43).

IIo *De casu dativo*

a) Ponitur pro *ad* cum accusativo :

Dimittit vos *ecclesiis* et *domibus* vestris (III, 17). Perpetuæ *servituti* redigere (III, 58). *Populo* tractare (ad populum) (II, 4).

b) Sæpius vero pro *in* et accusativo, post verba *movendi*, ut fit aliquando apud poetas. Dixit Lucretius :

Lymphis putealibus alte incidunt (VI, 1172). Cf. Ovid. : Oculos tollere *cælo*; Vergil. : It clamor *cælo* (2). — *Exsilio* truderetur (I, 16, 22). *Exsilio* delegavit (II, 14). Cf. III, 33, 53. *Vicino mari* demergere (I, 18). *Ollis* demergebant (II, 22). Conjicit *vinculis* (I, 33). *Pavimentis* sparserunt (I, 42). Aquam *corpori* spargit (III, 46).

Non minus insolenter ponuntur sequentia :

Carthagini revocavit (3) (III, 39). *Universæ Africæ* destinavit (= per universam Africam) (II, 38). Artatur duræ *custodiæ cuspidique* crudeli (= super cuspidem) extenditur (I, 34). *Uxori* ligato pondere (II, 14). Pondera *pedibus* colligantes (II, 24).

(1) O. Riemann, *Grammaire et langue de Tite-Live*, p. 200.

(2) Vid. ejus modi exempla apud F. Antoine : *De Casuum syntaxi Vergil.*, p. 150, sq.

(3) Cf. pag. 80.

Denique in sequente exemplo dativus pro ablativo ponitur :

Cum universi ejus *magnitudini* et *speciositati* (*) gauderent (II, 21).

III° *De casu genetivo*

Plura sunt annotatione digna in deteriore genetivi usu apud Victorem, ex quo, cum sit Afris communis, quemdam africani styli characterem licet intelligere (1).

a) Primum notabo *genetivum qualitatis* qui dicitur :

Siliquæ arbore (I, 45) ; exsilium *eremi* (II, 26) ; mensa *ciborum* (II, 46) ; certamine *confessionis* (III, 24) ; stratum *sacci sui* (III, 43) ; *paralysis* morbum (III, 43) ; ad cubilem *exsilii* (III, 44 ; *cœnosi* gurgitis aqua *ignis* et *sulphuris* (III, 55) ;

Ubi duplex genetivus mirum in modum adhibetur ; quem sic recte enodat Petschenigius in indice p. 158 : Aqua ignea et sulphurea *cœnosi gurgitis*.

Sic alias adjectivo conjungitur genetivus qualitatis :

Filium admodum adhuc *teneræ ætatis* et *delicatum* (III, 23). *Quantorum* temporum et *quantis* eum afflixerit pœnis (III, 27). Græciæ *facundiæ* latinisque *floribus* Rufinus ornatus (III, 61).

His addendæ sunt locutiones : *vir Dei, populus Dei*, etc., quæ sæpissime in Victoris libro reperies,

Sunt quædam genetivi qualitatis exempla apud comicos :

Thesaurum *auri* (Plaut., *Aul.*, 7). *Flagiti* flagrantia (Rud. 473). Cf. Vergil. : Herba *veneni* (*Eclog.*, IV, 24).

(1) De hac re vide permulta exempla, ex Afris scriptoribus excerpta apud K. Sittl. (*opere citato*), p. 92, sq.

(*) Sic omnes Mss. præter P. *Speciositate* Ru.

Quamobrem nescio an plane assentiri debeam Gœlzerio dicenti hæc ex Hebræorum lingua in latinam per ecclesiasticos scriptores defluxisse (1). Fateor esse multa in vetere testamento loca, ubi quasi ludus genetivi deprehenditur, sicut *vanitas vanitatum, nugæ nugarum, sanctus sanctorum, rex regum* (2), etc., et alia quidem minus insolentia ut *spiritus erroris, verba peccati, verbum salutis*, quorum similia in gallica lingua permulta usurpantur. Nonne quædam istorum inveniuntur quoque apud omnes cujusvis ætatis scriptores latinos qui dicebant pariter : puer *optima indole*, puer *optimæ indolis*, et *decem annorum* puer, etc. Liberior autem in dies fuit hic genetivi usus apud deteriores scriptores; immo, cum boni auctores in illis sententiis genetivo adjectivum semper adjungerent (3), cæteri genetivum qualitatis ubique nomini substantivo sine adjectivo conjungebant; quod vulgari Romanorum sermoni valde arrisisse certum est.

b) At nihil magis videtur proprium africanæ latinitatis fuisse quam genetivus nomini substantivo idem significanti conjunctus. Tot fuere istius rei exempla apud Afros, eaque tam eis communia ut, cum paucissima apud cæterarum regionum scriptores reperirentur (4), hæc verborum redundantia a

(1) Gœlzer., *Grammat. observat. in Sulp. Sev.*, p. 42.
(2) V. Karl Sittl. (*loco citato*), p. 94, 95.
(3) Vid. Antoine, *Syntaxe latine*, p. 78, sq.
(4) Inter multa latinitatis Hieronymi exempla quæ retulit H. Gœlzerius nullum ejusmodi exemplum inveni. Citantur hæc Aul. Gellii : (XI, 1, 2) *pœnitio multæ* ; (XII, 1, 7) *ubera mammarum* ; (III, 10, 4) *discrimina periculorum*. — V. *Jahrbücher für class. Philolog.*, 1882, p. 185.

Casauboni et Salmasii temporibus, *tumor africus* nuncuparetur (1).

Itaque operæ pretium esse duco, antequam ad Victorem redeam, aliorum Afrorum exempla colligere quæ ad rem pertinent.

Minucii Felicis et ipsius Lactantii qui revera ciceroniano stylo floruerunt, hæc citabo :

Irritæ *pollicitationis* cassa vota (Min. Fel., 12, 1). *Exsecrationis* horrorem (28, 6). Ira *furoris* sacrificare... jussit (Lact., *de Mort. Pers.*, X).

Huic scribendi consuetudini magnopere indulsit Arnobius ; cujus cum longum esset omnia exempla recensere (2), aliqua indicabo :

Beneficii munere (*Adv. Gentes* (II, 62). *Castimoniæ* virginitate (IV, 26). Ex usu *consuetudinis* (VII, 24). *Corruptionis* dissolutione (II, 65). *Formidinis* horrore (II, 29). *Vitæ incipientis* exordium (II, 35). Obstacula *impeditionis* (II, 14), etc., etc.

Addam hæc exempla :

Cypriani (*Epist.* 75) : Sermo *colloquii*. Optati (II, 6) : *Communionis* consortium. Martiani Capellæ (de nuptiis, etc.) : Ubertate *fecunditatis* (VI) ; ora *littoris* (ibid.). Aurelii Victoris : *Avaritiæ* cupido (*Epit. Cæs.* 41). Fulgentii Rusp. : *Generationis* propagine ; *nullius laboris* industriam (*de Prædest. et grat.*, 5, 9). Ferrandi (in *vita Fulgent.*) : *Fastus* arrogantia, *disciplinæ cœnobialis* ordinem (VIII) (3).

Istiusmodi exempla affatim, vel usque ad tædium, in Victoris libro invenies :

Gloriam *elationis* (Prol. 2) ; populus vandalicæ *gentis* (I, 1) ; uterus *ventris* (I, 2) ; palorum *vectibus* (I, 6); ira

(1) K. Sittl. (*opere citato*), p. 92.

(2) V. *Reifferscheid in indice operum Arnobii* (*Corp. script. eccles.*, vol. IV, p. 347).

(3) Karl. Sittl. (*op. citato*), p. 93.

furoris (ibid.) ; Cf. Lact. (supra) ; honorem *dignitatis* (ibid.) ; ædificiis magnarum *œdium* vel *domorum* (I, 3) ; hostilitas *barbarici furoris* (I, 9) ; dulcedo *suavitatis* (I, 11) ; decorem (*) *splendoris* (I, 20) ; *prophetiœ* vaticinium (I, 22); stirpe *generis* (III, 69) ; *desiderii* voluntatem (II, 12) ; *fulgoris* candore (II, 18) ; *veneni* virus (II, 37) ; *disputationis* conflictum (II, 53) ; *secreti* arcanum (II, 68) ; *generationis* nativitatem (II, 74) ; *brevitatis* compendium (II, 76) ; *imperii* nostri regimine (III, 14) ; *regiœ jussionis* præceptum (III, 26) ; in itinere longioris *viœ* (III, 38); *pœnarum* suppliciis (III, 43) ; *voluntatis* propositum (III, 46) ; *pollutionis* sacrilegium (III, 48) ; pignera *filiorum* (III, 50) (pignera = liberi ; vid. supra) (1) ; *probrorum* scelera (III, 70) ; dolum *fraudis* (III, 19) ; suspiriis *lacrimarum* (III, 39).

c) Afrorum quoque consuetudo erat genetivum adjectivi vices agentem ponere, quam a vetere Hebræorum lingua mutuati erant (2). Recensui apud Victorem :

Obedientiœ cervicem (Prolog. 4) = obedientem cervicem. *Impietatis* agminibus (I, 3) = impiis (Petschenig. Indic.).

Fortasse impietatis pro *impiorum* ponitur.

Loca *silvarum* (I, 37) ; loca *latrinarum* (II, 15) ; *lapidum* loca (II, 36) ; *solitudinis* loca (II, 37) ; justitia *sapientiœ* (II, 42) ; *impietatis* professionem (II, 57) ; *sublimitatis* potentia (II, 63) ; censuram *severitatis* (III, 3) ; violentia *immanitatis* (III, 52); *miserationis* sepulturam (III, 58) ; cupiditas *furoris*, avaritia *crudelitatis* (III, 63) (3).

Citandus est denique in hoc loco genetivus quem non poteris enodare, nisi eum pro *locativo* habeas :

Alio autem nostro episcopo Habetdeum similiter relegato *Tamallumensis civitatis* (III, 45).

(1) Page 97.

(2) V. Karl Sittl., p. 104 ; Vœgel. in *Jahrbücher für class. Philologie*, 1882, p. 183 (not.).

(3) Cf. alia exempla ex Afris scriptoribus excerpta, apud K. Sittl. (n° 105).

(*) *Decorem* omnes Mss.; Petsch. H. Ru.

d) Aliquoties genetivus vices ablativi cum præpositione agit :

Catholici dogmatis monumenta *dictorum* = dictorum *de dogmate* catholico (Prol. 2). Disputatione *fidei* = *de fide* (II, 41). Cf. disputationem *legis* (II, 42). Liber *fidei* catholicæ (titulus, II) = *de fide* catholica.

e) Denique est genetivus mire positus, id est genetivus gerundii pro infinitivo, quem nescio an alibi quam in Victoris libro inventurus sis :

Secedendi ad *naturalem* officium nulla ratio sinebat loci (II, 32). Quod eis nec *donandi* nec *testandi* aut *capiendi* vel ab aliis derelictum penitus subjaceret (III, 9).

IVº *De Casu ablativo*

a) Liberius ablativo utitur Victor, et quam ut ejus ponendi rationem, quibusdam in locis explicare possim.

Citabo primum ablativum *loci* sine præpositione *in* qui non insolentior est, et usitatum apud comicos loquendi morem renovat. Dixit enim Plautus :

Qui estis *his regionibus* (Rud. 355). *Locis* incolit *pisculentis* (Rud. 571). *Omnibus latebris* perreptavi (Rud. 151) = per omnes latebras.

Non aliter sæpe Victor est locutus :

Quæ *provinciis, locis* aut *regionibus* evenissent (Prol. I). *Pulpito* sistens (I, 41). *Animali* sedere (II, 27). Legendum media *ecclesia* (II, 38). Qui *suis palatiis* militarent (III, 9). Ecclesias quibuscumque *terris* et *regionibus* constitutas (III, 14). Mediis *stercoribus* volutamus (III, 16). Celsiori *loco* consistunt (III, 22). Media *urbe* cæderentur (III, 34). Cf. Arnob. : Æsculapius *Epidauro*, bonis deus valetudinis præsidens (VII, 44).

b) Apud multos Africæ scriptores (1) mos fuit abla-

(1) K. Sittl. (p. 130).

tivum sine præpositione ponendi, pro accusativo, post *verba movendi* :

Carthagine (*) veniatis (II, 39). *Carthagini* (forsan *Carthagine*) esse jussisset (II, 27) (1). Qui *Carthagine* venerunt (*Notit. prov.* titulus).

c) Hic, credo, facienda est mentio de ablativo gerundii, quod quidem potissimum ut *nomen verbale* usurpatur, causam rationemque qua actio perficitur, significans : ... Nobis *cunctando* (= cunctatione) restituit rem (Ennius). At non hoc fuit semper gerundii ablativo positi officium; persæpe enim apud deteriores scriptores pro participio præsente est adhibitum, qui ad ita scribendum a quibusdam bonis auctoribus impelli poterant. Nam Livius dixerat : ... Novi consules *populando* usque ad mœnia pervenerunt (VIII, 17, 1). Item Vergilius : ... Quis talia *fando* temperet a lacrimis? (*Eneid.,* II, 6), et Tacitus : ... In edita assurgens (ignis) et rursus inferiora *populando* (*Ann.*, XV, 38).

Labente latinitate, hæc loquendi consuetudo communis evasit, quam Francogalli a posterioris ætatis Romanis mutuati sunt (2).

Sequentia in Victoris libro notavi :

Crescendo firmabatur (I, 23) = dum crescebat. *Orando* atque *psallendo* animas emisere (I, 38) = dum orabant atque psallebant... Tibias *torquendo* constringerent cordis (I, 43). *Blandiendo* (I, 47) invitabat.

(1) Hæc res fusius videbitur cum disseram de præpositione *in* cum ablativo post *verba movendi*. Interea, Cf. *ubi* = *quo*, *ibi* = *eo*, quod plerumque apud Victorem invenies. (Pestchen., Ind., p. 172.)

(2) Vid. Diez : *Gramm. des lang. romanes,* III, 235.

(*) *Carthaginem* MWsab; *Carthagine* in optimis codic.; *Carthaginem* H. Ru. Cf. titut. *Not. prov.*; *Carthagine* Cod. Laudun.; *Carthagine* H. Ru.

Orando ingemuerunt (II, 11). *Affligendo* projecit (II, 14). *Purgando* projicere (II, 19). *Trahendo* perducant (II, 27). *Laniando* perderet corpus (II, 38). *Ascendendo* ad palatium et *descendendo* transire (III, 32). *Clamando* defendi (III, 46). *Torrendo* desiccans (III, 56). Defecerunt *quærendo* sibi escas (III, 67). Gemunt *lugendo* (III, 69).

Restat ut hic referam quasdam Victoris sententias quæ ad ablativum absolutum prave adhibitum pertinent :

Congregatis in circuitu castrorum *innumerabilibus turbis*... cruciabant (I, 9) = congregatas... turbas. — Sui fratris uxori *ligato pondere* lapidum in Ampsaga fluvium demersit (II, 14). Statim *illis clamantibus et dicentibus*... includuntur (II, 28) = illi clamantes... includuntur. Quos... abstinere decernimus, in persecutione *venturis* per ordines cunctarum urbium (III, 12) = venturos (?)... De multitudine pergentium confessorum... *suggerente* quodam ex lectore *Teuchario perdito*, quos ille (= Teucharius) noverat vocales strenuos... debere dicit (Teucharius) duodecim infantulos separari... (III, 39). — Alio autem *nostro episcopo* Habetdeum similiter *relegato* Tamallumensis civitatis, in qua Antonius fuerat, quantum potuerat infestari (Habetdeum) res ipsa demonstrat (III, 45).

V° Ἀντιπτώσις

Sunt quædam ἀντιπτώσεως exempla quæ Petschenigius manuscriptis antiquissimis fisus, in indice suo retulit (p. 147), sed in textum non admisit :

Ad *sepulturæ* (*) (I, 16). Contra *jure* (*) (II, 24). Super *semitæ desertæ* (*) (II, 58). Ad *pecore* (*) (II, 58). Ob brevitatis *compendio* (*) (II, 76). Sine *dubium* (*) (II, 83. Pro *totum* (*) (II, 86). Ex *hæresim* (**) (III, 71). ... *De Turres* (***) Ammeniarum (*Not. prov. Num.* 105).

VI° *De Præpositionibus*

Opportunum est iis quæ de casuum syntaxi apud Victorem annotavi, pauca de præpositionibus

(*) BV. — (**) *Ex hæresim* BVMa. — (***) Cod. Laud.

adjungere. Istæ enim, quanquam per se ipsas nihil significant, vim tamen habent ut, aliis verbis conjunctæ, quæ ad tempus, locum, et causam exprimendam, etc., spectant, indicent (1). Ad hoc perficiendum a bonis auctoribus hic tantummodo casus, illic junctæ casibus præpositiones adhibebantur ; quarum rerum exempla nobis abunde grammatici suppeditant.

Verum, labente latinitate, vim propriam casus paulatim amiserunt, præpositionum autem usus increbuit. Jam, Plauti et Terentii temporibus, mos fuerat pluribus verbis adjuncta præpositione ea exprimendi quæ casus per se ipsos exprimere potuissent : *præ* formidine (Plaut., *Amph.* 147) = formidine ; pretium *ob* stultitiam (Ter., *And.* 181) = pretium stultitiæ ; *ad* objurgandum causa (Andr. 35) = objurgandi causa. Quæ dicendi consuetudo, exacta Ciceronis ætate, multum invaluit. Augustus, si Suetonio credimus, cum enucleandis sententiis magnopere studeret, non dubitabat, ut id facillime assequeretur, verbis præpositiones addere ; dicebat enim impendere *in aliquam rem*, pro *alicui rei* (2). Profecto apud vulgi homines diligentius et rapidius, præpositionis auxilio res discernebantur quam si soli casus fuissent adhibiti. Itaque, in plebeio sermone, præpositiones, imprimis *ad* et *de*, casibus, altera accusativo, altera ablativo adjunctæ sunt ; quæ deinde, cum, lapsa latinitate, terminatio ipsa

(1) Vid. Antoine : *Syntaxe latine*, p. 91.
(2) Sueton., *Vita Augusti*, cap. 86.

casuum negligeretur, cum nominativo, quod vix credendum est, fuerunt adhibitæ. Nec rara exstant hujusce rei documenta in sexti sæculi chartis : donabo *ad conjux ;* in præsentia *de judices ;* episcopi *de regna nostra*, etc., quæ romanicarum linguarum initia fuere (1).

Jam apud Victorem præpositiones multum a ciceroniano dicendi more recedunt ; quarum quædam, Græcorum imitatione, usurpatæ fuisse mihi videntur :

1° PRÆPOSITIONES CUM ABLATIVO

A vel *ab*

a) A = ἀπὸ : ... Sibi *ab hospitibus* misericordiam vindicabat (I, 7) = ἀπὸ τῶν ξένων...

A = ὑπὸ : ... Esse *ab omnibus* gratus (II, 6) (= amatus) = ὑπὸ πάντων ἀγαπώμενος... — Videte afflictionem quam *a persecutoribus* sustinemus (II, 54) = ἃ ὑπὸ τῶν ἡμᾶς διωκόντων πάσχομεν. Cf. Optat. Milev. : *A qua* (multitudine) violentiam pateretur (III, 1).

b) Ablativi originem indicantis exempla :

Splendor *ab igne* genitus (II, 74). *A Christo* christiani nuncupamur (II, 99).

c) Persæpe apud Afros præpositio *a* jungitur cum ablativo qui *ablativus comparationis* dicitur, ita ut ponatur pro *quam.*

Unum tamen hujusce rei exemplum invenio in Victoris libro :

(1) De hac re vide : Aubertin : *Origines et formation de la langue fse* (p. 55, sq.).

Nam si alterius *a patre* (= quam pater) substantiæ est (II, 66) (1).

At contra multa sunt exempla apud alios Africæ scriptores :

Cypr. (*epist.* 77) : *A centesimo prœmio* minor ; Commod. (*Apol.* 97) : Minoris potentiæ *a se*; Cerealis (*Patr. lat.* 58, col. 755) : Priorem *a patre* (§ 19) ; major *a patre* (§ 20) ; etc. (2).

d) Denique supervacanea ponitur præpositio *a,* in quibusdam locis : Saturatus *ab* ubertate domus (I, 41) ; *a* lumine temporali privati (II, 26).

De

Latior fuit in dies hujusce particulæ usus, tempore quo declinationum formæ negligebantur. Apud Victorem, præsertim in *Notitia provinciarum*, non solum cum ablativo *causam* et *originem* significante, sed etiam pro genetivo ponitur, quod quidem in usu esse cœperat apud aureæ latinitatis auctores qui dicebant : homo *de plebe* = homo plebis, etc.

Villaticus *de Casis* Medianis (*Not. Pr. N.* 29). Victorinus *de Nova* Cæsaris (ibid. 31). Victorinus *de Castello* Tituliano (ibid. 51). Fructuosus *de Giru* Marcelli (ibid. 52). Martinianus *de Foru* Trajani (*Not. Sardin.* 2). Macarius *de Minorica* (ibid. 4). Helias *de Majorica* (ibid. 7). Opilio *de Ebuso* (ibid. 8). Pontificibus *de* toto *orbe* (III, 5). Fuit hic Vandalus *de illis* quos millenarios vocant (I,30).

Jungitur, ut expletiva, ablativo *causæ* et *instrumenti :*

De quibus exacuerent stylum ingenii (Prol. I). *De qua*

(1) Excerptum ex libro fidei catholicæ. — Cf. Hier. apud Gœlzer. (pag. 336) : Nostras quoque animas non *alterius a Deo* naturæ esse contendat.

(2) Vid. Karl Sittl. (p. 105, sq.).

re plurimos novimus relegatos (I, 23). *De qua re* surgens in invidia (I, 37).

Hunc scribendi modum Victori non peculiarem fuisse, sed Afris communem constat multis hujusce rei exemplis quæ tibi Minutii Felicis, Cypriani, Arnobii, Fulgentii Mythol. et Commodiani opera suppeditabunt (1).

E vel *ex*

In locum particulæ *a* cum verbis passivis adhibitæ, ponitur præpositio *ex* :

Dum suæ civitati arianum episcopum *ex* notario Cyrilæ ad perdendas animas ordinatum vidisset (III, 29).

Aliquoties expletiva invenitur :

... Voluntarie et *ex* affectu adorent Spiritum sanctum (II, 98). Cf. *ex* corde dicere. — Pœnas quas *ex* jussu regis sui ipsi Vandali in suos homines exercuerunt (III, 21) (2).

Pro

Notandum est Victorem præpositionem *pro* usurpavisse ut nos *pour* (= but, cause) :

Ut die constituta *pro* disputatione fidei veniatur (II, 41). ... Sese *pro* defensione ecclesiarum catholicarum venisse (III, 32). ... Vandali *pro* hac re ubique fuerant destinati (III, 47). Cf. *Notitiæ provinciarum* titulum : (Episcopi) qui venerunt *pro* reddenda ratione fidei.

Hoc ut Afri sermonis peculiare notat K. Sittlius (p. 136), nulla alia quam Victoris exempla proferens. Attamen non aliter usus est præpositione *pro* Hieronymus, et quidam alii quorum nomina legere poteris apud Gœlzerium (3). Cicero ipse ita locutus

(1) V. Karl Sittl. (p. 127).
(2) Hoc in libro suo *de Cassii Felicis latinitate* Africanum esse demonstrat Vœlfflin (*Jahrbücher für classis. philologie*, p. 188).
(3) *Latinité de St Jérôme*, p. 343.

est : «... Labores suscipere *pro* omnibus tuendis » (*de Offic.,* III, 25). Obiter citare juvat hæc quæ ex Hieronymi libro excerpsi :

Pamphili librum *pro* defensione Origenis (Hier., *adv. Rufin.)* (I, 8). Volo *pro* legentis facilitate abuti sermone vulgato (Hier., *Epist.* 64, 11)... In Africam *pro* defensione Siculorum Romana transmarina sunt signa (Ruf., *Brev.* 4).

2º PRÆPOSITIONES CUM ACCUSATIVO

Per

Vigente bona latinitate, hac præpositione designabantur quæ ad locum (*per medios hostes*), ad tempus (*per noctem*), ad causam (*per te salvus sum*) et ad rationem (*per jocum*) pertinebant (1). Hæc tam clara olim in illius præpositionis usu discrimina, Victoris ætate, ita obscurabantur ut modo (quod plerumque factum est) *causam* et *instrumentum* significaret, modo cum quadam libidine poneretur.

a) Sæpius apud Victorem *per* cum accusativo in locum ablativi *causæ* sine præpositione adhibetur :

...*Per officia* sacramentorum de fonte mundus ascendi (I, 21). ... *Per* rebaptizationis *cœnum* fidei suæ ornamenta turparent (I, 33). ... *Per gladios* petrarum caput conterebatur (II, 36). ... *Per* uteri *appellationem* proprietatem generis ostenderet (II, 72).

b) Alias *per* pro *in cum ablativo* ponitur :

... Ariani *per diversa ministeria* ponerentur (I, 43) = in diversis ministeriis. ... Qui in Constantinopolim(*)

(1) Vid. Antoine : *Synt. de la langue latine* (p. 100, sq.).

(*) *Constantinopoli* Ws; *Constantinopolim* cæteri codices ; *Apud Constantinopolim* H. Ru.

sunt et *per alias provincias* Orientis (II, 4). ... Statuere *per totam Africam* festinavit (II, 23). ... Coepiscopis tuis *per universam Africam* constitutis direximus (II, 39). ... Nisi patri *per omnia* fuisset æqualis (II, 61). ... Noscuntur habere *per omnia* potestatem (III, 54).

c) Alias pro *in cum accusativo* :

... *Per universas* africanæ terræ *provincias* tortores destinare (III, 21).

Denique præpositio *per* in quibusdam locis apud Victorem adhibetur ut apud nos *par* :

... *Per fila* consciderunt (III, 48) = fil par fil. ... Duodecies *per annum* (II, 16) = douze fois par an. ... Quos *per momenta* singula cum medicis circuibat (I, 26) = à chaque moment, par moments. ... Pergebat excurrens *per singulos lectus* (*) (I, 26) = (visitant les malades) lit par lit.

Ad

Liberior et insolentior est apud Victorem hujus præpositionis usus :

a) *Ad* pro *in cum accusativo* ponitur :

... Dirigens viros ingenuos *ad campum* uticensem (II, 10). ... *Ad exsilium* eremi destinavit (II, 26). ... Festinant hilares *ad coronas* (II, 30). ... *Ad exsilium* perrexit (II, 33). Cf. II, 45 ; III, 38, 50.

b) Sæpissime urbis aut regionis nomen præcedit, ante aut post *verba movendi*, quod tamen non multum a recto scribendi usu recedit. Aliquoties enim talia reperire est apud aureæ latinitatis scriptores : Cic. (*ad Famil.*, 16, 2) : ... *Ad Alyziam* accesseramus ; Sallust. (*Jug.* 75) : ... *Ad Thalam* proficiscitur (ut urbem intret et capiat) ; Tit. Liv. (V, 19, 8) : *Ad Veios* exercitus ductus. Quæ documento sunt non omnino certam, in ejusmodi sententiis, quoad

(*) *Lectus* BVP.; *lectos* Ru. H.

præpositionis *ad* usum, regulam optimos auctores secutos fuisse (1).

Mos fuit autem apud deteriores, et præcipue apud ecclesiasticos scriptores jungendi plerumque accusativo præpositionem *ad*, ante aut post verba movendi, quia, ut jam dixi, accusativus velut cæteri casus, vim amiserat.

Optat. Milev. : *Ad Africam* missi sunt (I, 26) ; *ad urbem* Romam ventum est (I, 23) ; ... redit *ad domum* (V, 8). — Hieronymus : Ibimus *ad Nazareth ;* ... Pergemus *ad Itabyrium ;* ... Duxit illum *ad Epidaurum* (2). — Victor : ... Pergit tunc *ad Carthaginem* (III, 53) ; ... urgebatur multitudo *ad ipsam* se *urbem Carthaginem* congregare (III, 60).

c) Hæc dicendi consuetudo a plebeio sermone orta erat, in quo præpositio *ad* plerumque cum verbis *directionem* indicantibus adhibebatur. Frequentior erat locutio *do ad pauperes* quam *do pauperibus.* Livius ipse non semel in hoc vitium incidit, qui dixit : restituit *ad parentes* (II, 13), *ad Romanos* (X, 14,7) (3). Ita enodantur hæc Victoris : *Ad quod* (= cui) universi episcopi responderunt (III, 17) ; Hieronymi : Loquebatur *ad Dominum* (*Epist.* 130, 4), *ad Apostolos* dictum est (V. Hilar. 40) ; Augustinus (passim) : Precari *ad Dominum.* Cf. gallic. : il parlait *au* Seigneur, il adressait ses prières *au* Seigneur, etc., quibus nostræ præpositionis *à* origo illustratur.

(1) Gœlzer., *Latinité de S[t] Jérôme*, p. 328.
(2) Goelzer. (*op. citato*), p. 327.
(3) Chassang : *G[re] latine* (p. 224).

d) Sequentia vero vix grammaticorum regulis explicari possunt :

... *Ad nomen* Dei patris homines Dei appellantur (II, 99). ... Dum *ad unum* penderet pedem (I, 43). ... Tenerentur *ad* pœnam (III, 11). Unde gallic. : *seraient tenus à...*

Alias *ad* = gallic. *pour*, in exprimendo tempore :

... *Ad* modicum gloriari (III, 27, 51) = *pour un peu* de temps.

Denique citandæ sunt, codicum manuscriptorum fide, quædam præpositionis *ad* ἐναλλάγαι :

Ad rege (III, 18) ; *ad* (*) *terra* (III, 26) ; *ad persecutione* (III, 65).

3° PRÆPOSITIONES CUM ABLATIVO ET ACCUSATIVO

In

Ita mutatus est apud Afros istius præpositionis usus, ut prorsus alio modo quam aureæ aut argenteæ latinitatis scriptores, eam Afri adhibuerint. Etenim cum rectum particulæ *in* usum intelligere et retinere, ut lucidum et bene definitum, facile esset, pessime ea usi sunt, eam cum ablativo pro accusativo post verba movendi, rursusque alias cum accusativo ubi ablativo opus erat, ponentes ; quod omnino præter consuetudinem fuit. Hoc non satis admirari possum, cum non Victori solum, sed plerisque Africæ scriptoribus imputandum sit. Hic igitur quam plurima potero exempla ordine citabo.

a) *In* cum ablativo, post verba movendi :

... *In amaritudine* absinthii versa est (I, 11). *Transmarina in parte* projecit (I, 15). Surgens *in invidia* (I, 37).

(*) *Ad* BV; *ab* Ru. H. Petsch; *ad terra* B, *ad terra* V; *ab* Ru. H. Petsch.; *ad persecutione* B.

... Jectis *in capite* (II, 9). ... *In persecutione* convertit (II, 17). ... *In claritate* pristina restitutam (II, 18). ... *In insulis* Sicilia et Sardinia relegavit (II, 23). ... *In gurgite* mergi (II, 32). ... *In his* retorquere. Inductis *in errore* (III, 7). ... *In persecutione* venturis (III, 12). ... Secedant *in parte* (III, 19). Cf. gallic. : *qu'ils se retirent à part.* ... *In mitiori eremo* translata (III, 33). ... Demergendum *in abysso* (III, 36). ... *In ipsis* eremi *partibus* relegare (III, 43). ...*In latrinis fetidisque locis* projecerunt (III, 48). ... Abierunt *in captivitate* Maurorum (III, 68).

b) Numquam non apud bonos auctores post verba animi agentis motum in aliquid significantia, persona aut res ad quam verbi actio pertinebat, casu accusativo exprimebatur, velut *sævire in aliquem, in patriam amore inflammari, in honorem alicujus dicere*, etc. At dissimili ratione Victor scripsit, ut facile videre est :

... *In ecclesiis* sæviebant (I, 4). ... *In persona* regis dixisset (I, 22). ... *In illis* exarsit (II, 1). ... Crudelis *in sacerdote* (II, 13). ... Impietatem regis *in suis* (II, 16). ... *In ostensione* cunctorum extentis (III, 35). ... Incredibilia *in nostris* exercuit (III, 42). ... *In gaudio* conversus (III, 44).

His omnibus præpositionis *in* casu ablativo in locum casus accusativi adhibitæ exemplis, utile est quædam ex Afris excerpta addere. Tertullianus : Tradidit *in manibus* (*Adv. Gnosticos,* 3). ... *In insidiis* relegamur (*Apolog.* 12). ... Receptum *in cœlis* (*de Virg. velandis,* 1). Similia inveniuntur apud Apuleium et Cassium Felicem ; quæ a Vulgata emanasse certum est (1).

Colligendum est igitur, si altius rem repetamus, discrimina illa quibus regebatur præpositionis *in*

(1) K. Sittl. (p. 129).

usus ab Afris rejecta fuisse; quod aliis exemplis probare in promptu est.

In cum accusativo pro ablativo *loci* :

... *In primordia* regni cœpit mitius agere (II, 1). ... Qui *in Constantinopolim* (*) sunt (II, 4). ... Non quia deessent *in Africam* (*) (II, 44). Cf. Tertullianum : Christianos esse *in causam* (*Apolog.* 40).

In cum ablativo *instrumenti*, etc. Expletiva adhibetur hæc particula ante ablativum *instrumenti*, vel *causæ*, vel *modi* :

... *In* uno displicens (II, 2), pro *uno* displicens. ... Solito *in* ornatu fulgentem (II, 18), pro *solito ornatu*. ... *In* his sermonibus consolantem (II, 30). ... *In* differentiæ qualitate sejuncti (II, 82). ... *In* his verbis totam... commovisse dicitur civitatem (III, 35). ... Spiritus quem beatus Petrus *in* tanta sublimitate prædicavit (II, 97) = sublimitate = sublimiter.

Frequenter apud Afros, ut in hoc exemplo, ponebatur ablativus pro adverbio, jam ab Apuleii temporibus :

Apul. (*Metam.* I, 15) : *misericordia;* I, 23, II, 17 : *verecundia.* Tertull. (*Apol.* 21) : *diligentia; Ad nationes*; I, 4: *temeritate;* I, 18 : *animo.* — Arnobius (I, 40) : *injuria;* II, 61 : *inutilitate:* III, 10: *indignitate.* — Cyprianus (ed. Hart. *corp. script. eccl.*, III, p. 21) : *perfidia;* p. 255 : *ignorantia;* Epist. p. 633 : *voluntate.* Denique hoc mirum in Corp. Inscrip. lat., VIII (4333), legitur : *per quam nitore* = per quam *nitide.*

Sub

a) Sæpe apud Afros hæc particula ablativo instrumenti jungitur ; cujus rei, cum citanda sint satis multa exempla, unum tamen in Victoris libro deprehendo :

Pulverea tempestas arido *sub aere* decoquens cuncta

(*) *In Constantinopolim* omnes Mss. præter Ws.; *in Africam* BV ; *in Africa*, Ru.

(III, 56). — Cf. Tertull. ... *Sub diabolo* esurit (*de Carne Christi*, 9); *Apolog.*, 9 : *Sub Catilina* tale degustatum est; *Apolog.* 45 : *Sub Deo* omnium speculatore; *De Baptismo,* 6 : In aqua emundati *sub angelo; Adv. Valent.*, 30 : *Sub potestatibus* istius sæculi. - Cf. Arnob. : ... *Sub ostentatione* ingeniorum atque doctrinæ (III, 36)... In opinionem scientiæ *sub* inflati pectoris tumore tollamur (II, 7).

Eodem modo apud Gallos præpositio *sous* aliquoties usurpata est :

... Ayant perdu une bataille *sous* (= par) Varus (Montaign., I, 23). Hector tomba *sous* lui, Troie expira *sous* vous (Rac., *Androm.*, I, 2, 6). ... Avoir fait périr tous les habitants *sous* des herses de fer (Volt., *Dict. Philos,*).

b) Sub = cum, in ablativo *modi :*

... *Sub* persecutione idonea (III, 8). Cf. Cod. Theod., XVI, v, 52 : In exsilium *sub* prosecutione idonea mittentur. ... *Sub* festinatione (III, 39).

c) Sub cum ablativo in locum accusativi :

... *Sub* potestate mea totus mundus redigatur (II, 43).

d) Sub cum ablativo temporis :

... Data *sub* die (II, 39). Cf. III, 14.

ARTICULUS II. — **De nominibus adjectivis.**

§ I. — DE ADJECTIVIS IN SUBSTANTIVI AUT ADVERBII LOCUM POSITIS

Liberius, ut omnes labentis latinitatis scriptores, Victor adjectivis utitur quæ ponit : *a)* in locum substantivi ; *b)* in locum genetivi substantivi ; *c)* in locum adverbii :

a) Laici (I, 14); implacabilis *ferus* (I, 33); *gentiles* = gentes non christianæ (I, 36), unde gallic. les Gentils (les païens); *in angusto* = in angustiis, in periculo (I, 38); *mirabilia* = miracula (I, 38). Cf. Hier., *Epist.* 108, 13 : ... Intremuit consternata *mirabilibus*. — E vicino(loco) *currentibus*(I, 38). ... Mihi inter *coævas* plaudebam (I, 49). ... *Modico* aquæ (II, 16). ... Illa *beatorum* turba (II, 18);

... *Verecunda* pudoris (II, 24); *catholici* (passim); *adversariorum* objecta (II, 44); *venerabiles* (II, 45); *cœlestia* (II, 79); de *terribilibus* (II, 86); de *proprio* ablati (III, 8); *specialia* (III, 8).

b) Reverentia *sacerdotalis* (sacerdotum = sacerdotibus debita (I, 6); *senilis* maturitas (= senum) (I, 7); ab uberibus *maternis* (I, 25); *maritali* fiducia (I, 31); *regio* jussu (I, 42); sub *barbara* dominatione (II, 6); visitationis *humanæ* consolatio (II, 31); cor *barbarum* (II, 40); *paternæ* unitatis adsertio (II, 60); navibus *dominicis* (III, 20); auctoritate *uxoria* (III, 50); disputatio *episcopalis* (III, 63).

His addere possum quædam participia loco substantivi posita, et poetico more :

... *Prærupta* terrarum (I, 1); ... *seclusa* quæque (I, 1); ... *sylvarum* secreta (III, 58).

Quæ, omni ætate, apud Romanos vel soluto sermone scribentes inveniuntur (1).

c) Insolentiora sunt apud Victorem adjectiva in adverbii locum substituta. Aliquoties tamen aureæ latinitatis scriptores, pro adverbio, vocabulo personæ proprietates significante utebantur : Crasso et Antonio Philippus *proximus* accedebat (Cic., *Brut.*, 47, 173). Hoc modo præsertim adhibebantur adjectiva animi motum indicantia :

... Senatus *frequens* convenit (Cic., *Epist.* 10, 12, 3); *multus* atque *ferox* instare (Sallust., *Jug.* 84, 1); mortem venientem nemo *hilaris* excipit (Senec., *Epist.* 30, 12) (2).

At hanc regulam non semper secuti sunt poetæ, præsertim comici ; quos, potiusquam eos qui soluto sermone scripserunt, Victor æmulatus esse videtur :

... Paternas opes abstulit *rapax* (I, 12). Servi *perpetui*

(1) Appel : *De genere neutro intereunte in latina lingua* (p. 29, sq.).
(2) V. Berger : *Lateinische Stylistick*, p. 151.

remanerent (I, 14). Apud Edessam commanet *peregrinus* (I, 29). *Callidus* occulte præcipiens (I, 47). Hominibus *importuna* videretur jungi (II, 30). Pergit *festinus*. Ct. *Passio*, 4 : *Crudelissimus* imperavit ; 9 : *Facilia* subponerent colla.

§ 2. — DE COMPARATIONIS GRADIBUS

Vix tibi effingere potes quantum Victor a recto dicendi genere, in exprimendis comparationum gradibus, recedat ; quorum fere nulla apud eum sunt discrimina. Ponitur enim sæpe comparativus vel superlativus pro positivo. Hæc prava scribendi consuetudo, quamvis frequentissime apud Afros deprehendatur, vulgari Romanorum eloquio est imputanda. Obsoleverant apud vulgus imperitum comparationis gradus, ita ut comparativi aut superlativi formæ sæpe pro forma positivi haberentur. Unde evenit ut scriptores qui plebeio dicendi mori indulgebant, *magis* et *nimis* et *plus* ante comparativum vel superlativum ponerent (nimis = valde, vehementer). Immo ex ipsis comparativis et superlativis novos comparationis gradus formabant, ut *extremior*, *extremissimus* quæ apud Apuleium (*Apol.* 9) leguntur.

Harum rerum exempla ordine proferam :

Plaut. (*Amph.*, I, 1, 145) : *magis majorem*. Terent. (*Hec.* 738) : *magis cautius*. Apul. (*Metam.* 9, 36) : *magis iratiores*. Tertull. (*de Spect.* 13) : *magis angustiora*. Arnob. (I, 29) : *quis magis rectius* feret invidiam ? IV, 30 : *magis ignominiosius* tractari quam a nobis. Ferrandus (*Vit. Fulg.* 43) : *magis districtiores*. Corippus (*in laud. Just.*, IV, 129) : *plus* majestate sedentis *lucidior*. Sulpic. Sev. (*Chr.* II, 46, 5) : *plus* justo *inflatior*. Venant. Fortunat. (*de vita Martini*, I, 55) : *plus* aqua *frigidior*, etc., etc.

His adjunge : Apul. (*Metam.* 2, 7) : perquam *sapidissimum.* Arnob. (II, 36) : ... gradibus *satis plurimis* ab imperatore dijunctum. Ferrand. (*Vit. Fulg.* 36) : *nimis gratissimus.*

Exempla e Victoris libro excerpta nunc videamus :

a) Comparativus pro positivo :

Facilius (I, 5) ; *dulcius* (I, 11) ; *sæpius* (I, 27, 28, 43 ; II, 39 ; III, 25) ; *crebrius* (I, 43) ; *mitius* et *moderatius* (II, 1) ; *vehementius* (II, 2) ; palis *minoribus* dentatis jectis in capite (II, 9) ; honorabilis *senior* (= senex) III, 35 ; *acrioribus* (II, 12) ; *longius* (II, 14) ; *pejora* (II, 24) ; *gravius* (II, 43) ; *evidentius* (II, 71) ; *libentius* (III, 38). Cf. *pluriores* (III, 32).

b) Comparativus pro superlativo :

... *Sceleratius* (I, 4) ; *sollicitius* (II, 1) ; *vehementius* (II, 9), *acrius* (III, 36) ; *crudelius* (III, 42).

c) Adduntur comparativo et superlativo *magis* et *nimis* :

Magis laudabilior (II, 2) ; *majoribus* incendiis domos orationis *magis* quam urbes concremarent (I, 4) ; *majore magis* inopia (III, 59) ; acetum asperum *nimisque acerrimum* (III, 44).

Hæc exempla quæ retuli et quæ ad comparationis gradus pertinent, non audeo contendere propria *Africitatis* indicia fuisse. Non item est vero de sequentibus exemplis quæ distincte africani sermonis characterem denuntiant. Africanum est enim in eadem sententia positivum comparativo aut superlativo jungere. Plerique Africæ scriptores huic consuetudini indulserunt. Citare juvat :

Arnobium : *antiqua et vetustissima* (I, 3) ; *adversas et pessimas* (I, 21) ; *tristissimis atque lætis* (I, 22) ; *plebeia atque humiliora* (I, 32) ; *ditiores et locupletissimos* (I, 16) ; ... quod *levissimum multo* est (II, 11) ; uter *magis* vide-

retur *dignissimus* (II, 51). — August. : *sancta atque dulcissima* (*de Civ. Dei*, XXII, 29, 1). Possid. (*Vit. Aug.* 11) : *continentes et doctissimos.* Ferrand. (*Vit. Fulg.* 61) : *inanes et vanissimos.* Aur. Vict. (*Cæs.* 41, 4) : *vetus veterrimumque.* Optat. Milev. : *singulare ac verissimum* sacramentum (I, 11) ; *sani et verissimi* symboli (I, 12).

Non aliter quam illi scriptores Victor locutus est.

a) Junguntur positivus et comparativus :

... *Ingentia et majora* (II, 7).

b) Positivus et superlativus :

... *Nobilissimam atque famosam* (I, 24) ; *angusta et teterrima* (II, 31) ; *peritas et doctissimas* (II, 52); *strenuum atque doctissimum* (II, 52) ; *multis et creberrimis* (II, 76) ; *necessarium ac justissimum* (III, 7). — Cf. *Pass. Mart.* 4 : *Longinquis et extremis ;* 6 : *Nobiles et optimi ; delicatæ et nobilissimæ.*

Denique citanda sunt adverbia *quanto, tanto* positivo conjuncta :

Quanto eos *affligebant*, *tanto* magis multiplicabantur, et invalescebant nimis (I, 23)... *Quanto* sibi *videbantur* superbi, *tanto* amplius deficiebant (III, 59)... Persecutionis *quanto sublimiter*, *tanto crudeliter* gestæ (I, 51). Cf. Tacitum : *Quanto inopina*, *tanto* majora (*Ann.* I, 68). ... *Quanto* quis audacia *promptus*, *tanto* magis fidus (*Ann.*, I, 57).

ARTICULUS III. — **De Pronomine**

Apud Victorem adeo prave adhibentur pronomina ut in eorum usu affirmari possit eum nihil aliud quam plebeium sermonem fuisse secutum. Ardua sunt, fateor, discrimina quibus quorumdam pronominum usus, vel ipsis grammaticorum regulis, explicatur. Quæ discrimina male a vulgo dijudicata fuisse quis mirabitur ? Inde evenerunt plurimi apud dete-

riores scriptores solœcismi, ut ex exemplis quæ sequuntur tibi videre licebit.

Confunduntur :

Ejus et *suus*, *se* et *eum* :

... Universas (ecclesias)... cum *suis* (=earum) divitiis abstulit (I, 15). ... Affectum elevans ab terra, mundum cum *suis* (=ejus) desideriis contemnebat (III, 26)... Licet doleat (rex) quod *ejus* (= suæ) voluntati obœdire tardetis (III, 17)... Superbe et illicite *sibi* (= ab eo) nomen usurpatum nostri detestantes, dixerunt (II, 56). ... Inductis *secum* (= cum eis) in errore imperatoribus (III, 7). ... Martinianus nesciens quid de *illo* (= de se) decreverat Deus (1, 31). — Cf. Vulgat., Marc., VII, 26 ; Luc., VII, 3 ; VIII, 41, et passim.

Ille, *hic*, *iste* :

Pronomen demonstrativum *ille* ita aliquando adhibetur ut vim nostri articuli *le* habeat :

Acceleraverunt *illi* ab rege *destinati* (III, 8) = les envoyés. ... *Illi expoliati* lætati sunt (III, 63).

... Qui in *his* regionibus versabantur, quæ regiones palatio tributa pendebant (I, 22). ... Ab *his* qui exsequebantur (I, 49). ... Visionem *istam* (= illam) retulit Eugenio (II, 18).

Ipse = idem :

Referam factum quod *ipso* (= eodem) factum est tempore (I, 19). ... *Ipso* (= eodem) Geisericus præceperat tempore (I, 43). ... Vidit *ipsam* Fausti (= eamdem) ecclesiam refertam turbis (II, 18). ... Unum ex *ipso* (= eodem) choro doctorum (II, 52). ... In *ipsis* (in eisdem) eremi partibus (III, 43). — Cf. *ipsiusdem* (*) (III, 41).

Hanc pronominum *ipse* et *idem* confusionem ex græci verbi αὐτὸς usu qui in Vulgata sæpe est, ubi τὸ αὐτὸ in *id ipsum* vertitur, defluxisse verisimile

---

(*) *Ipsiusdem* omnes Mss. præter Ms ; *ipsius*. *Ejusdem* Ru.

videtur. Inde, ecclesiastici scriptores frequenter *ipse* pro *idem* posuerunt (1) ; inter quos, Afros fere omnes numerare possim (2). Attamen cum Hieronymus hac scribendi consuetudine sæpe usus fuerit, eam Afrorum propriam dicere non audeo.

Quisque positivo adjungitur. Apud optimos auctores vero nonnisi cum superlativo legitur : *optimus quisque*, *doctissimus quisque*. Hunc usum jam Taciti temporibus obsolevisse certum est, et prorsus apud deteriores scriptores fuisse neglectum. Dixerat Tacitus (*Ann.*, XII, 43) : *invalidus quisque*. Quin etiam *quisque* numero singulari ab optimis auctoribus adhibebatur ; ab illis autem qui sub imperatoribus viguere, numero plurali libere adhibitum est (3).

Ad eorum regulam Victor scripsit :

... *Seclusa quœque* occultaverant (I, 3). ... *Peritos quosque* (II, 52).

Quisquam = quisque :

... Sciscitans qualiter *quisquam* (= quisque) haberet (se haberet) I, 26. Cf. *quisque* pro *quicumque*, *quisquis* in vetere Romanorum lingua positum (4). (Plaut. Captiv. 461 ; Rud. 12).

Quis = quisque :

... Decernens quantum *quis* (= quisque) pro merito acciperet (I, 25).

Quidam = quilibet :

... Nec ecclesias aut in urbibus aut in *quibusdam* parvissimis locis penitus obtinere (III, 8).

(1) Gœlzer., *Latinit. de saint Jérôme*, p. 406, sq.
(2) V. K. Sittl., p. 115.
(3) O. Riemann : *Grammaire de Tite-Live*, p. 142.
(4) O. Riemann (*op. citato*), p. 140.

Qui = quis :

... Nunc *qui* erit cognitor, *qui* examinator (II, 53)?

Nullus = nemo :

... Intrantes *nullus* poterit repellere (II, 8). ... *Nullum* tamen tunc nec blandimenta vicerunt (II, 29). ... Quo in Africæ partibus *nullus* ditior fuit (III, 27).

Alius = alter :

Duas egregias (ecclesias occupavit)... *aliam* ubi ejus (Cypriani) sepultum est corpus (I, 16). ... Accedit ad maritum *alia* Eva (I, 49). ... Jactantur confessores ..... unus super *alium* (II, 31). ... Si hæc vita sola fuisset, et *aliam* non speraremus æternam (III, 27). ... Frumentius et *alius* Frumentius ipsiusdem (*) urbis (III, 41). ... Cui frater *alius* (duo erant fratres) metuens ne fidem negaret clamabat (III, 28).

Alii = cæteri :

... Ut vos in *aliis* ecclesiis, quæ in provinciis africanis constitutæ sunt, liberum arbitrium habeatis (II, 4). ... Tres punirentur, *aliis* viginti librarum auri condemnatione multandis (III, 11).

Hoc non vitio Victori vertam, quippe cum jam multoties apud Tit. Livium, atque non semel apud Sallustium inveniam (1), ne Plautum nominem.

Aliquanti = aliquot :

... Quod voluntarie *aliquanti* fecerunt (I, 50). ... Dilationem *aliquantorum* dierum dedisse cognoscimur (III, 5).

Tanti = tot :

Concilio *tantorum* numero sacerdotum (III, 12). ... (Ecclesiam) *tantis* ordinibus sacerdotum ornatam (III, 67).

Quanti = quot :

... *Quanti* tunc præclari pontifices... extincti sunt (I, 5)!

(1) V. exempla apud O. Riemann (*Gr. de Tite-Live*), p. 144.

(*) V. pag. 132 in notula.

Quantis sacerdotibus onera imposuerint, nequeo enarrare (I, 7). ... *Quantis* potuit vocibus gratias agens (III, 24). ... *Quantis* jam laminis ignitis adusti sunt (III, 28). — Cf. Passio, 6 : *Quanti* nobiles et optimi viri... terram cum cœlo commutaverunt. Vulgat. (Joann., XXI, 11) : Et cum *tanti* essent, non est scissum rete.

Multa ejusmodi exempla invenies apud Tertullianum, Apuleium, Hieronymum, Lactantium, Aurelium Victorem, Ferrandum, Cassium Felicem (1), etc., quibus apparet illa verba *aliquanti*, *tanti*, *quanti* jampridem non ad rerum magnitudinem sed numerum exprimendum usurpata fuisse ; quod, cum jam apud Plautum (2) et in Vulgata reperiatur, credendum est e plebeio sermone emanavisse.

ARTICULUS IV. — De Verbo

Nusquam melius quam in verborum syntaxi apparet quantum grammaticorum regulas Victor rejecerit, rectæque dicendi consuetudini vulgi libidinem et imperitiam in linguæ latinæ usu anteposuerit. Nam nihil aliud animadvertere est quam inusitatam apud bonos auctores verborum quorumdam syntaxim, confusos inter se verbi modos, confusa tempora, neglectamque temporum consecutionem, quæ omnia non labentem sed lapsam latinitatem valde attestantur.

§ 1. — DE INSOLENTIORE QUORUMDAM VERBORUM SYNTAXI

Notandum est imprimis verbum *facere* cujus syntaxim, sine dubio, Victor a vulgari eloquio mutuatus

(1) Goelzer. (*latinit. de S[t] Jérôme*, p. 414, sq.).
(2) K. Sittl., p. 119.

est, in quo illud verbum admittebat *infinitivum cum accusativo*, cum autem aureæ latinitatis tempore, præpositioni *ut* cum subjunctivo jungeretur. Deterior illa verborum constructio a comicis initium sumpsit, qui sæpe verbo *facere*, ut nos verbo *faire* utebantur(1) ; immo, velut nos, περιφράσιν proprio verbo præferebant, dicentes *ascensionem facere* (Plaut., Rud. 338), *fugam facere* (Ter., Eunuch. 50), *honestiorem facere* (Plaut., Capt. 139) potiusquam *ascendere, fugere, honestare,* quod quidem postea in vitiosam consuetudinem conversum est. Ab Aul. Gellii temporibus (2) ita hæc consuetudo invaluit ut nemo fuerit qui verbum *facere*, aliter quam bonæ latinitatis auctores, non construeret ; cui vitio Lactantius, ille vir ciceroniani sermonis amantissimus, indulsit (*Inst. div.*, II, 16, 3).

Commodiani, Tertulliani, Arnobii et Hieronymi exempla vir doctissimus Goelzerius retulit (3). His juvat addere quæ ipse apud alios scriptores inveni :

Vulgat. : Præcepit ut *accumbere facerent* (Marc., VI, 39). ... *Faciam vos fieri* piscatores hominum (Matth., IV, 19). Optat. Milev. : ... *Faciam inalbari* (V, 4). ... Corippus (*Joannidos*, I, 532) : ... Timidos *bellare facit* ; I,577 : Cautasque *facit properare* cohortes. ... Victor : ... *Factum est* episcopum *ordinari* (I, 24) ; ... cunctis populis *fecimus innotesci* (III, 4) ; ... ut ad conflictum *facerent* minime *perveniri* (III, 6) ; ... *facerent præsentari* (III, 11) ; ... *faciebant vagari* pendentem (III, 31).

Cætera adnotatione digna, ordine alphabetico recensebo :

(1) V. Boissier : *Journ. des Savants*, 1884, p. 434.
(2) Goelzer. (*Lat. de St Jérôme*), p. 373.
(3) Goelzer., *ibidem*, p. 373.

Addere (cum infinitivo) :

Addidit et laboribus eos *conterere* rusticanis (II, 10) = præterea voluit... etc. ... *Addidit* itaque bestia illa per universas Africanæ terræ provincias tortores crudelissimos *destinare* (III, 21).

Accendere (cum infinitivo) :

Accenditur adhuc crudelius aliquid *perpetrare* (II, 13).

Admittere (cum infinitivo) :

Admissi sumus intrare (II, 32). Cf. August. : Si *admittatur* humana fragilitas talia *perscrutari* (*Serm.* 270, 1).

Cognoscor = δῆλός εἰμι :

Ecclesia ne unius nummi habere *cognoscitur* facultatem (II, 7).

Item construuntur *demonstror*, *monstror, probor* (passim, II, 30, 82 ; III, 12). Horum frequentissimum est *probor* (Vid. I, 18, 30, 42; II, 5, 7; III, 3, 50).

Condemnare ad :

Ad fodiendas eum *condemnat* scrobes (I, 44). Cf. II, 16).

Credere (cum infinitivo) = statuere :

Credidit Vandalus Martinianum Maximamque conjugali consortio *sociare* (I, 30).

Cogitare (cum *ut* et subjunctivo) :

Cogitat ut nostræ religionis homines neque annonas neque stipendia *potirentur* (II, 10).

Dicere = jubere :

Cum *dicat* apostolus cum nefariis nec cibum habere communem (II, 46).

Disponere = propositum habere :

Qui jurare disponunt (III, 19).

Dominari (cum dativo)...

Maxima universæ *domui dominabatur* (I, 30).

Habere : a) cum participio passivo :

Linita habentes vestimenta (II, 33). Unde gallic. (frequenter) : *ayant leurs habits tachés.*

Hanc verborum constructionem sæpissime videre est apud ecclesiasticos scriptores.

b) = *se habere :*

Sciscitans qualiter quisquam *haberet* (I, 26). ... *Habens* in episcopatu XLIII annos (II, 26). Cf. Vulgat., Joan., v, 5 : Triginta annos *habens* in infirmitate sua.

Apud auctores probæ latinitatis hoc verbum *habere* ut neutrale, in locutionibus *bene*, *male habet* adhibebatur, quod a comicis initium sumpsit (Plaut. *Aul.* 2, 8, 2 ; Mil. Glor., 3, 1, 130 ; Ter. Phorm. : 2, 3, 82), atque in vulgari sermone usurpatum est. Attamen aliquando, Tullius ipse *habere* ut *valere* usus est in epistolis ad familiares :

« Tullia nostra recte valet : Terentia minus belle *habuit* » (Famil. 9, 91). At contra in oratione (Mur. 6, 14) : *Bene habet :* jacta sunt fundamenta. Cf. Horat., *Sat.* I, 9, 53. ... Atqui, *sic habet.*

Nocere (cum accusat.)...

... Quorum feritas... *nullum* servorum *nocuisse* docetur (II, 37).

Promittere (cum accusat. gerundivi) :

Promittens multis eum divitiis *cumulandum* (I, 47).

Potiri (cum accusativo) :

... Neque *annonas*, neque *stipendia potirentur* (II, 10). — Ita construebatur hoc verbum primis litterarum latinarum temporibus : Pacuv. *Att.*, 30 : *potiri sceptrum;* Plaut. (*Amph.* 2) : *poteremur domum ;* Ter. (*Adelph.* 495) : *potitur commoda.* ... Auct. belli hispaniensis, 13, *potiri summum imperium.*

Petere (cum infinitivo) :

Petivit sese deponi (III, 28).

Sedere (cum accusativo) :
Ut suum nequaquam *sederet thronum* (II, 8).
Statuere (cum accusat. gerundivi) :
Statuit requirendos hæreticos (II, 1).

§ 2. — DE MODIS

I. — *De indicativo et subjunctivo inter se confusis.*

Adeo frequenter in Victoris libro ponuntur, alter in alterius locum, indicativus et subjunctivus, ut vix aliquis enucleare queat qua ratione hic indicativum, illic autem subjunctivum Victor adhibuerit. Ejus enim ætate, omne fere discrimen inter indicativum et subjunctivum deletum erat, ut videre est, cum apud scriptores ecclesiasticos qui Victorem antecesserunt, tum apud cæteros, ut Corippum, qui secuti sunt; apud quos, in obliqua oratione, cum boni auctores subjunctivum adhibuissent, leges indicativum ; immo, in eadem enuntiatione, sive conjunctiva sive relativa, duo illi modi, ut fert scriptoris libido, miscentur.

Quam rem minime mirari debemus. In multis enim locis, adeo levia sunt discrimina quibus indicativi aut subjunctivi adhibendi necessitas dignoscitur, ut ea tantummodo a bonæ latinitatis auctoribus perspecta fuerint ; qui cogitata sua ut diligentius distinguerent, indicativum aut subjunctivum adhibuere, prout ea quæ ipsi aut alii faciebant et sentiebant, erant exprimenda. Hujus subtilitatis non ita curiosi fuerunt plebeii homines ; qui, exempli gratia, cum probæ latinitatis scriptores dicerent *nescio*

quid egeris, dicebant *nescio quid* vel *quod egisti*, alterum verbum alteri non subjicientes ; sicque duas illas sententias, nullo adhibito inter eas discrimine, 1° *nescio*, 2° *quod, quid egisti,* copulatas, modo indicativo, quasi sejunctas enuntiabant. Sic locuti sunt primi Romani : Plaut., *Amph.* prol. 50 : Quam ob rem *veni* proloquar ; Bacch., I, 1, 45 : Scio quid *ago* ; Ter. *Eun.* 919 : Vide ut otiosus *it ;* Phorm. 986 : Vide quantum *valet.* Atque exacta Ciceronis et Augusti ætate, in dies obsolevit subjunctivi usus, qui sæpe incertus, ut « *linguæ luxus* » habendus est (1). Hæc omnia exemplis quam plurimis sunt illustranda :

a) Indicativus in interrogatione obliqua :

... Quam numerosi, ab eis *cruciati sunt* sacerdotes, explicare quis poterit (I, 10). ... Nesciens *quid* de illo *decreverat* deus (I, 31). ... Legatur nobis quo concedente istud sibi nomen Cyrila *adsumpsit* (II, 54). ... Quid hic *vult* beatus Petrus intelligi Spiritum Sanctum utique clarum est (II, 86). ... Audiat quomodo David *hortatur* (II, 97). ... Quanti per eam Deo *acquisiti sunt*, longum est enarrare (III, 24). ... Quantis jam laminis ignitis *adusti sunt*... ipsa res docet (III, 28). ... Quantum *potuerat* infestari, res ipsa demonstrat (III, 45). ... Cognosce *quid* Vandali *faciunt* Ariani (III, 69). ... Vide universos sanctos quomodo *pergunt* (II, 30) (Proleps.) = Gallic. : voyez tous ces saints, comme ils marchent.

b) Indicativus et subjunctivus in eadem enuntiatione :

... Vide quam plena *sit* brevitas et quam clare *recurrit* (II, 78). ... Nesciens quid *loqueretur,* neque de quibus

(1) Vide ea quæ de hoc subjunctivi usu doctissimi viri dixerunt : « L'ancienne langue latine ne se souciait pas de reproduire la *dépendance logique des idées*, et employait simplement l'indicatif. » Antoine (*Synt. lat.*, p. 225). Cf. Thurot : *Rev. critique,* t II, p. 13 : « Le subjonctif est *un luxe* de langage. »

affirmabat (III, 2). ... Jurate, si Hildirit *desideratis* esse regem, vel si nullus vestrum ...epistulas *diriget* (III, 19). ... Quasi *valeret* conscientiam ligare ... aut non *aderat* qui audit gemitus compeditorum (III, 46). — Cf. Optat. Milev. : dicite qualis *est* ista mens, quam *habet* formam, aut quo in loco, in homine *habitet* (V, 4).

c) Indicativus post *cum* causali :

... Cum vero ingenitus pater de se ipso fidelium *generavit*, apparet una esse gignentis genitique substantia (II, 70). ... Poteris et ipse tibi præstare, cum *licet* (I, 31). ... Quod sit autem occultorum cognitor, ex hoc manifestum est, cum obscura consilia Judæorum traducens *dicebat* (II, 84).

d) Indicativus aut subjunctivus post particulam *si*, et *nisi* :

Si cum subjunctivo :

Si velis, poteris (I, 31), pro : *Si voles, poteris.*

Si = num, an, cum indicativo :

... Jurate *si* post obitum domini nostri regis, ejus filium *desideratis* esse regem = num post obitum (III, 19). ... Videant *si est* dolor sicut dolor meus = num *sit* dolor (Ps. xvi, 4. Vict., III, 66).

Si = num, an, cum subjunctivo :

... Quo possit agnosci, *si* integram fidem *teneatis* (II, 39). ... Nisi a sancto Eugenio rationabilis, *si* cor barbarum *molliretur*, suggerenda daretur (II, 40).

Si cum subjunctivo et indicativo insolentius positis in eadem propositione :

... Quibus hæc supplicia proficere *poterant si* catholici *fuissent* et fidei suæ merito ista *perferrent* (II, 16). ... Qui esse *poteratis* in regis conspectu honorabiles, *si* ejus *festinetis* facere voluntatem (II, 28). ... Vobiscum et nos *libebat* pergere, *si liceret* (II, 34).

Nisi :

... *Voluit* demergere, *nisi rogaretur* (I, 18). ... *Potuerat* rapere, *nisi sepeliretur* (I, 27). ... Quorum nullum *dimit-*

teret, *nisi* mors voluntatem *auferret* (II, 12). ... Nullum invenit remedium calamitas, *nisi* suggerenda *daretur* (II, 40).

Subjunctivus post particulam *dum* = gallic. *pendant que*, *tant que*.

Hanc particulam, vir doctissimus Gœlzerius affirmat, post aureæ latinitatis tempora, quarto præsertum sæculo, vices conjunctionis temporalis *cum* agere cœpisse, quæ tunc in exprimendo tempore, cum subjunctivo minus recte ponebatur (1). Hujus tamen constructionis exempla, jam multo ante Victoris ætatem inveniuntur :

Tit. Liv. (I, 40, 7) : ... *Dum* intentus in eum se rex totus *averteret*, alter elatam securim in caput dejecit. Vergil. (*Georg*. IV, 457) : Illa quidem, *dum* te *fugeret* per flumina præceps, Immanem... hydrum puella non vidit in herba. (*Æn*., I, 5). ... *Dum conderet urbem*. Cic. (*Ad Attic*. V, 17, 3) : ... *Dum* in æstivis nos *essemus*, illum pueris locum esse bellissimum diximus (2).

Abundant vero istiusmodi exempla, quod labentis latinitatis signum est, apud Victorem ; quæ ordine exponam :

Imperfectum subjunctivi post *dum* :

... *Dum* quæ erant urgentibus pœnis facilius *ederentur* (I, 5). ... Quis... possit sine lacrimis recordari, *dum præciperet* nostrorum corpora... ad sepulturam perduci (I, 22). ... Quæ *dum* multitudo captivitatis... *attingeret* littus (I, 25). ... *Dum* variis insidiis *artaretur* (I, 28). ... *Dum* sanguis *efflueret*... incolumes reddebantur (I, 34). — Et multa alia his similia (V. I, 41, 43, 45 ; II, 5, 9, 18, 19, 30 ; III, 6, 16, 25, 26, 28, 35, 39, 40, 43, 60).

(1) Gœlzer. : *Grammatic. observationes in Sulpic. Severum*, p. 56.
(2) Cf. Tit. Liv. exempla apud Riemann (*op. citato*), p. 223.

Plusquamperfectum subjunctivi post *dum* :

... Qui (rex) *dum* ad Maxulitanum littus *exisset*... occurrere visi sunt supplicantes (I, 17). ... *Dum* obitus *obvenisset*, non licebat alios ordinari (I, 23). ... *Dum* sacramenta divina ne traderet *dimicasset*, foris civitate... jussus est pelli (I, 40). ... Qui lapides *dum cecidissent* in terram, plus accendebantur (II, 20). ... *Dum* arianum episcopum... ad perdendas animas ordinatum *vidissent* (III, 29). — Cf. III, 43, 54.

Subjunctivus in enuntiatis relativis :

... In ædificiis *ubi* ministerium ignis minus *valuerit* (I, 8). ... *Quas* hostilitas barbarici furoris oppugnare *nequiret* (I, 9). ... *Qui* nulla posset ratione sedari (II, 5). ... Tantum (pecuniæ) reservabat *quantum* diei *sufficeret,* non *quantum* cupiditas *expetisset* (II, 7). ... *Ubi* nullus veniendi *haberet* accessum (III, 33). Cf. Pass. Mart. 9 : ... *Ubi* nulla miseratio *adrideret* lenitatis. Optat. Milev. : (Persecutionis) divagata est tempestas *quæ* alios *fecerit* martyres, latentes dimisit illæsos (II, 13). Vulgat., Luc, I, 7 : ... Non erat illis filius, *eo quod esset* Elisabeth sterilis.

II. — *De liberiore infinitivi usu*

Omnes posterioris latinitatis scriptores, liberius in dies infinitivo usi sunt, quasi hunc pro substantivo haberent, atque, rejectis probatissimorum auctorum exemplis, suum infinitivi ponendi morem Græcorum linguæ accommodare vellent. At potius credendum est liberiorem infinitivi usum, apud Romanos perantiquum, plebeio sermone peculiarem fuisse.

Frequentissimi sunt apud Victorem loci in quibus infinitivus a recta scribendi consuetudine recedit.

a) Infinitivus post nomina substantiva, in locum gerundii genetivo adhibiti :

... Liberum *arbitrium* habeant *tractare* (II, 4). Nobis *copia* dabatur *introire* (II, 28). ... Nec *commorari licentia* patuisset.

Hoc quidem non insolitum fuerat apud comicos : Plaut., Capt. 170 : Occasio benefacta *cumulare;* neque postea apud poetas : Vergil. (*Æn.*, VI) : Si tantus *amor* casus *cognoscere* nostros... Si tanta *cupido* est bis Stigios *innare* lacus. Cf. Sallust. (*Catil.* 17) : ... Molliter *vivere copia*. Sed plerumque ita ponitur in Vulgata infinitivus ; atque, cum frequentissime apud ecclesiasticos scriptores idem reperiatur, minime dubitandum est quin e vulgari eloquio potiusquam e poetis in Victoris linguam effluxerit.

b) Infinitivus in sententia finali pro *ut cum subjunctivo :*

... *Factum est* episcopum *ordinari* (I, 24) = factum est ut. ... *Accenditur perpetrare* (II, 13) = accenditur ut. ... Nullus jam *pergere admissus est* (II, 35) = ad pergendum. ... *Urgebatur parturire* (II, 43). ... *Urgebatur se congregare* (III, 60). Cf. Tacit. : Quos odium *mutare* sedes *perpulit*. ... *Ostendi* sibi Othonem *expostulantes* (1).

c) Infinitivus post verba movendi :

Post hæc verba, optimæ latinitatis tempore, adhibebatur supinum, aut subjunctivus cum particula *ut*, aut gerundium cum particula *ad*. Sordebat vero hæc verborum constructio plebis hominibus ; qui ut Græci, infinitivo simplicius utebantur. Poetæ ipsi, et ii quidem Homerum imitati, haud aliter sæpe loquebantur. Vergil. (*Æn.*, I, 531) : Non nos libycos

(1) Chassang, *Gram. lat.*, p. 395.

populare penates *venimus*. Cf. Horat.: Proteus pecus *egit* altos *visere* montes (*Od.* I, 2, 7). Cf. hanc locutionem multoties in Homeri operibus usurpatam : Βῆ δ'ἰέναι ... quam sæpe videre est apud comicos : (Terent., *Hec.* 114) : *Iit videre*. Ille infinitivi usus multum arrisit ecclesiasticis scriptoribus, atque ita ut supervacuum sit illius constructionis exempla recensere; quæ tamen non multa sunt apud Victorem : *Venturus* est *judicare* (II, 65) ; *venturus* est *arguere* (II, 90). — Cf. Opt. Milev. : *Pati venerat*, non *defendi* (III, 7).

d) Infinitivus post verba sentiendi et declarandi.

Mos erat, multo ante Victoris tempora, *quod* et *quia* cum indicativo aut subjunctivo ponendi in locum *accusativi cum infinitivo*. Hæc constructio quam quidam a Græcis provenisse credunt, jam in honore erat, prima latinarum litterarum ætate, at solum in plebeio sermone et apud comicos. Plaut. *Asin.* 52 : ... Scio jam filius *quod amet* meus istam meretricem. — Invenitur *quod* in quibusdam Belli Hispaniensis locis, atque apud Petronium et Apuleium (1) ; qua constructione abusi sunt ecclesiastici scriptores, vel illi qui purioris sermonis erant amantissimi. Nam Lactantius ipse scripsit : ... Scit *quia* mortis *est* fabricatrix voluptas (*Inst. div.*, VI, 22, 5). Hoc quidem mihi videtur annotandum. Cum enim infinitivi usus liberior et latior in dies esset, *accusativus cum infinitivo* rarior fiebat, et in ejus locum substituebantur, sine discrimine, indicativus et sub-

(1) K. Sittl. (p. 110, sq.).

junctivus, particulis *quod* aut *quia* adjuncti ; quam consuetudinem e Vulgata emanasse nemo est qui nesciat.

Hujusce rei exempla hæc apud Victorem sunt :

Attestabatur *quod nunquam vidisset* episcopum in throno sedentem (II, 6). ... Cogitantes *quod non posset* jumento portari (II, 27). ... Ne Ariani dicerent *quod* eos nostrorum *oppresserit* multitudo (II, 53). ... *Quod sit* occultorum cognitor, ex hoc manifestum est (II, 84). ... *Quod adsit* ubique, dicit propheta (II, 88). ... *Quod* bonus (*sit*) pater, bonus filius, sic probatur (II, 91). ... Cur de eo dubitatur *quod* Deus *sit* (II, 95). ... Ne Dei populus diceret *quod* vitio sacerdotum non *fuerint* Ecclesiæ *restitutæ* (III, 19). ... Diciturque *quod* eum *habiturus esset* præ omnibus (III, 27). — Scio *quia* fideliter nobis adhæsisse *jurasti* (I, 19). ... Dices ei, *quia* ego te ad illum *direxi* (II, 47). ... Dixit de filio *quia* æqualem se *faciebat* Deo (II, 60). ... Potest dicere *quia* et laborem *sensit* (II, 73). ... Memento *quia* in nomine Trinitatis *baptizati sumus* (III, 23). ... Videte *quia* Sion civitas Dei nostri *facta est* vilis (III, 67). ... Scimus *quia indignum est* vobis pro nobis orare (III, 70).

e) His omnibus utile est addere quasdam sententias in quibus infinitivus insolenter ponitur :

... *Absit* hoc ita *credere* (II, 69) = ut hoc ita credamus. ... *Timens* Dei hominem *contristare* (I, 46) = ne contristaret. ... Illa ingentem sibi adesse credens gaudium, ubi nullum humanum *esse* (pro *esset*) consolantis affectum, ne fieret supplicavit (III, 33) ;

Quo nihil vitiosius inveniri potest.

III. — *De Participio*

Creberrima sunt apud Victorem participia, in quibus adhibendis maxima licentia est usus, quam nescio an ullus labentis latinitatis scriptor æquaverit. — In ejus libro frequentissime legitur partici-

pium casu nominativo absolute positum ; quod lapsæ linguæ indicium usque ad hunc diem homines in re grammatica versatos, credo, latuit. Sequentia ordine notavi :

a) ... *Venerabilitas* studii tui historiam texere *cupiens* (*), inquiris (Prolog.)... *Transiens* (*) igitur *quantitas* universa... ilico statuit (I, 2). ... *Quæ opinio divulgata* (*)... tantus numerus destinatur (I, 3). ... Et sic ... *furentes*, ab *eorum* contagione nullus remansit locus immunis (I, 3). ... *Dividentes* (*) *Vandali et Mauri* ingentes populi quantitatem mariti ab uxoribus separabantur (I, 25). ... Qui *numerus* paulatim *deficiens*, nunc tres tantum esse videntur (I, 29). ... *Data* (*) *ingentia munera* Mauris, vix clam admissi sumus intrare (II, 32). ... *Quæ* agmina venientium nequaquam *capientes* (*), per vertices montium turba descendebat (II, 34). ... *Cognoscentes* (*) simulque *legentes*, contritum est cor nostrum (II, 40). ... Vexillo crucis *consignans* oculos ejus, statim cæcus visum recepit (II, 50). ... *Nesciens* (*) quid loqueretur, neque de quibus affirmabat, legem adversum nos illi proponere non erubuerunt (III, 2). ... Nunc in sublime *tollentes* (*)... super silices platearum ut lapis super lapides corruebat (III, 25). ... *Putrefactus* (*) *et ebulliens* vermibus, non corpus sed partes corporis ejus videntur esse sepultæ (III, 71).

Profecto hanc loquendi consuetudinem Victor a plebeio sermone mutuatus erat qui ipse fortasse participio absolute posito utebatur Græcorum imitatione, apud quos participia neutralis generis atque ex verbo substantivo formata ita usurpabantur : Ἔξὸν εἰρήνην ἄγειν = cum liceret in pace permanere.

(*) *Cupiens, transiens*, omnes Mss. — Ru. H. Petsch. — *Quæ opinio divulgata*, in omnibus fere codic. — Petsch. H.; *qua opinione* Ru. — *Dividentibus Vandalis*, in codic. non bonæ notæ. — Ru. — *Datu* BVs ; *dantes* W ; *post data* C ; *dato ingenti munere* Ru. — *Capiebant* W ; *Quæ cum... caperent* Ru. — *Cognoscentes...* omn. Mss. et edit. — *Consignans* omnes Mss. *Consignat* Ru. — *Nesciens* omnes edit. — *Tollentes, putrefactus* omnes edit.

b) Participium præsens pro verbo finito ponitur.

Hoc participii usu nihil usquam, credo, insolentius videre est et vitiosius :

... *Discedens* mulier cum filiis refutata (= discedit mulier... etc.); confortatur Saturus ad coronam (I, 50). ... *Exsultans* multitudo catholica de ordinatione pontificis (= exsultavit) (II, 6). ... In populos quoque præfati imperatores similiter *sævientes* (III, 9). Non animal, non servus... penitus dimittuntur. *Addens* adhuc ut nullus quempiam illorum hospitio reciperet (III, 15). ... Cui frater alius *metuens* ne fidem negaret, et de suspendio clamabat (III, 28).

c) Participium præsentis pro tempore præterito.

Frequentissime, ut infra videbimus, participia præsentis ad exprimenda tempora præterita adhibentur; cujus rei ratio, quanquam maxima licentia Victor utitur, facile enodanda est. Etenim, per se ipsum, participium nullam temporis notionem indicat, nisi in eadem sententia verbo finito adjungatur; quod sequente exemplo comprobatur : Plato *scribens* mortuus est (cum *scribebat*) ; *scribens* morietur (cum *scribet*). Itaque, vel apud probæ latinitatis auctores, aliquando participium præsentis pro tempore præterito deprehenditur. Lego apud Quint. Curt., VI, 5, 8 : Diu *cunctantes*... tandem venturos se pollicentur (= postquam diu cunctati erant); VI, 5, 25 :... Præmisit *indicantes* venisse reginam (= indicaturos, qui indicarent). Rursus, participium præteriti pro participio præsentis ponitur : Vergil., *Æn.*, VIII, 636 : ... Magnis circensibus *actis* (= cum agebantur) ; Liv., 30, 30 : ... Melior est certa pax quam *sperata* victoria (= quæ speratur).

Apud Victorem autem quod olim rarius erat frequentissimum factum est :

... Africæ miserabilis attigit fines, *transvadans* per angustias maris (I, 1). ... *Invenientes* pacatam provinciam... depopulabantur (I, 3). *Recedentes* illi cœperunt divina mysteria celebrare (I, 18). ... *Inveniens* Christi mancipia conjicit vinculis (I, 33). ... *Pervenientes* traduntur regi Maurorum (I, 35). ... *Cadente* de manibus codice mortuus post cecidit ipse (I, 41). ... *Introeuntes* corpus Christi pavimentis sparserunt (I, 42). ... Quæ tota die *jacentia* vix vespere sepeliri concessit (II, 15). ... *Supervenientes* comites duo cum Dei confessoribus agere cœperunt (II, 28). ... *Exeuntes* itaque die dominica... crudeliter minabantur (II, 33). ... *Audiens* episcopus jussit hominem introire (II, 49). ... Quod ille *cognoscens* relationem Carthaginem direxit (III, 29). ... *Parantes* dorsa sua verberibus, alacres ad exsilium pergunt (III, 38). ... Ad eos *veniens* quondam Nicasius in brevi simili morte periit (III, 71).

d) In hujus articuli fine opportunum duco citare sententias quas Petschenigius in Indice cum participii absoluti exemplis recensuit, et fortasse non recte, cum nulla certa ratione explicari queant :

... Æstimans tali exemplo timorem *incutiens* (= incutientem [?]) reliquos (se) *elisurum* (II, 52). ... Sed neque Antonium hæc res ab insania potuit revocare *sciens* (= scientem [?]) se magis impio regi posse placere (III, 54). ... Auctoritate uxoria *increpatus* (Antonius) lacrimæ siccaverunt (III, 50) (= increpati Antonii [?] lacrimæ).

§ 3. — DE CONFUSIS VERBI TEMPORIBUS

Laxam, omni linguæ latinæ ætate, videre est temporum significationem, præsertim in plebeio sermone. Istius mutationis exempla præbent Apuleius et omnes Afri ; sed in hac re Victor majore

quam cæteri licentia usus est (1). In ejus libro confunduntur præsens tempus et præteritum, præsens et futurum, plusquamperfectum et imperfectum sive indicativi, sive subjunctivi ; quæ ordine digessi :

a) Præsens tempus adhibetur pro præterito :

... Martyria quam plurima *esse* (fuisse) probantur (I, 30).

... Et quia *est* (erat) scripturarum scientia plena... alios ad martyrium confortabat (III, 22). ... Hostiam suam in sua domo *maluit* sepelire, ut quoties super sepulcrum ejus trinitati preces *effundit*, alienam se a filio nunquam esse confidat (III, 24). ... Si homini gratis fideliter *exhibuit* fidem, quantum *debet* illi... (III, 25).

b) Præsens pro futuro :

... Subde mihi orbem terrarum... et *facio* (faciam) quod dicis (II, 43). ... Scribat amicis suis... et ego *scribo* (scribam) coepiscopis meis (II, 44). ... Nisi credideritis, non *intelligitis* (II, 76).

c) Perfectum pro præsenti :

... *Adhæsisse* jurasti (I, 19). ... Uxor indutias visa est *petisse* (I, 49)... Reperti sunt missas *egisse* (II, 39). ***Fuisse*** pro *esse* (I, 30, et passim).

d) Plusquamperfectum pro imperfecto subjunctivi :

... Qui cum *ignorasset* Geisericus Sebastiani victoriam, ilico jussit adferri (I, 20). ... Ut primo armis nudaret, et ita facilius inermes *captivasset* (I, 39). ... Ut... magis eum occideret, ne martyrem gloriosum *fecisset* (I, 47). ... Quod ille plenus Deo magis ut velociter *provenisset*, impios provocabat (I, 49). ... Dedit licentiam... ut carthaginiensis Ecclesia sibi quem vellet episcopum *ordinasset* (II, 2). ... Ne maritum consiliis acrioribus adversus tyrannum *armasset*, eam intercipi jubet (II, 12). ... Statuere festinavit ut nostrorum episcoporum

(1) V. exempla apud K. Sittl., p. 133.

sibi substantiam *vindicasset* (II, 23). ... Suggessimus ut a suis rex peteretur, ut eum Carthagini esse *jussisset* (II, 27). ... Congregantur universi... ut Mauri occurrentes traditos ad eremum *perduxissent* (II, 28). ... Hoc agebat Eugenius... ut illi *venissent* qui majorem fiduciam libertatis haberent (II, 44). ... Illud videtur tenere conceptio ut nulla... ecclesia *patuisset* (III, 8). ... Ut si forte tales celare diligerent et minime *publicassent* (III, 11). ... Addens adhuc ut nullus quempiam illorum hospitio reciperet, aut alimoniam *præstitisset* (III, 15). ... Notariis scribentibus quis quid diceret (græc. : τίς τι λέγει), vel ex qua civitate *fuisset* (III, 19). ... Ut nulla *remansisset* domus et locus ubi non *fuisset* ejulatus, ut nulli ætati, nullo parceretur sexui (III, 21). ... Præcepit ut linguas et manus radicitus *abscidisset* (III, 30). ... Si nunc superessent vel eis fari de talibus rebus *licuisset* (III, 61).

Tot sunt ejus rei exempla ut non audeam contendere me omnia recensuisse. Attamen ea sufficiunt ut plane compertum habeamus vix ulla discrimina in temporum notione et usu in Victoris libro requiri posse. Sunt qui dicant illa discrimina jam, in quibusdam locis, Plautum et Terentium rejecisse. Ante oculos quidem habeo eorum exempla quæ cum Victoris exemplis conferre non dubitabo : ... *Periistis*, ni jam hunc e conspectu abducitis (Plaut. *Capt.* 423), ubi perfectum pro præsente aut futuro ponitur. Alias *fueram* = eram : ... Ut *fuerat* natum (*Amp.* 238) ; non *fuerant* nuptiæ futuræ (Ter., *Andr.* 158). Alias denique plusquamperfectum imperfecti vices agit : ... Ut jacui, exsurgo : ardere censui ædes, ita *confulserant* (*Amp.* 365) ; ... Amphitryonis te esse aiebas Sosiam. — *Peccaveram* (*Amp.*, 191), quod tamen explicari potest ut gallicum : *je m'étais trompé* (frequenter dictum pro : *je me trompais*).

Cum vero istam temporum confusionem præsertim apud Afros animadvertere sit, exempla ex Afrorum scriptis excerpta citabo :

Apuleius (*Apol.* 44) : Vellem adesset et... *invertisset.* Arnobius (II, 37) : ... Quod si essent dominicæ prolis... generatio principalis... unum omnes intellectum *habuissent,* aulam semper incolerent regiam.

Hoc tamen non admodum vitiosum duco, cum ita interpretari possim :

« Ils *auraient tous* reçu (habuissent) la même intelligence, ils résideraient toujours dans la maison du roi. » ... VI, 23 : Cum Capitolium totiens edax ignis absumeret Jovemque ipsum Capitolinum cum uxore *corripuisset.* — Corippus : *Johan.*, I (381) : ... Ex ducibus namque unus eram, cum sceptra tyrannus Geilamir in libycis *tenuisset* perfidus oris (458) : ... Arcitenens crebris quis ferret fata sagittis, quosque levis torto *fixisset* Delia telo. Cf. II, 126 ; VI, 770 ; VII, 188.

Sed hæc, licentia quadam poetica et re metrica explicantur et excusantur. Ex his igitur exemplis quæ collegi, concludendum est Victorem sæpius et pravius quam cæteri plusquamperfectum cum imperfecto confudisse.

e) Quæ cum ita se habeant, quis mirabitur Victorem temporum consecutionem etiam neglexisse, quippe quam præterea et apud comicos et in vulgari eloquio et in Vulgata neglectam deprehendamus ? Lego apud Plautum (Rud. 95) :

In fanum... mulierculas *adduxit*... ut rem divinam *faciat.* (Captiv. 386) : ... Si quis... *faxit* qualem *haberes* gratiam ? Terent. Adelp. 183 : Illum... in terram *sternerem,* ut cerebro *dispergat* vitam. Vulgata, Marc, VII, 32 : *deprecabantur* eum ut *imponat* illi manum ; et alia quæ Novum Testamentum evolventi statim occurrunt. — Vic-

tor : *poteratis,* si *festinetis* (II, 28). Ne Ariani *dicerent* quod eos nostrorum *oppresserit* multitudo (II, 53). ... Illud *est intuendum,* quomodo Deus sacramentum Trinitatis *ostenderet* (II, 79). ... In sua domo *maluit* sepelire, ut quoties super sepulchrum ejus trinitati preces *effundit,* alienam se a filio nunquam esse *confidat* (III, 24).

f) In hoc articulo de temporum confusione notanda est quoque conjugatio periphrastica pro futuro sæpius adhibita. Hanc quidem satis frequenter probæ latinitatis auctores usurpabant, sed ea lege ut, sive necessitatem, sive consilium mox aliquid agendi exprimere vellent. Ita Sallustius in primis Jugurthæ locis, cum jamjam de rebus ab illo rege gestis locuturus esset, hæc dixit : Bellum *scripturus sum*, quod populus Romanus cum Jugurtha gessit (*Jug.* 5); dixisset autem *scribam* si in posterum, parum certo tempore, bellum illud narrare sibi proposuisset. Hoc inter conjugationem periphrasticam et futurum, Victoris ætate evanuisse documento sunt exempla sequentia :

... Quod dixi *facturus es* (I, 46). ... Invitus *facturus es* hoc (I, 49). ... Nobis *parciturus est* iste (II, 13). ... Qui nos *baptizaturi sunt*... Qui nobis pœnitentiæ munus *collaturi sunt* et peccatorum vinculis *soluturi*... Qui nos *sepulturi sunt* (II, 34). ... *Venturus est* judicare (II, 66). ... Ipse *venturus est* arguere omnem carnem (II, 90). ... Semper dicimus et diximus et *dicturi sumus* (III, 17). ... Qui *redditurus est* pro fide mercedem (III, 25). ... Quod frater meus *facturus est* (III, 28). ... Quid *facturus es* (III, 36). ... *perditurus es* animam tuam.

ARTICULUS V. — **De Conjunctione**

Antequam hæc de Victoris latinitate capita absolvo, pauca dicturus sum de conjunctionibus quæ, cum in colligandis sententiis magni momenti apud bonos auctores fuerint, prave et quasi ex fortuito a Victore ponuntur, ut facile videbis.

a) Conjunctiones copulativæ : *simul et* = et :

... Christi ancilla, corpore *simul et* corde decora (I, 30)... moritur ipse *simul et* filii (I, 35). ... Linita habentes vestimenta, facies *simul et* capita (II, 33). ... Relinquens cum gaudio domum, maritum *simul et* filios (III, 33). ... Quare ignes, quare ungulæ *simul et* cruces ? (III, 63). Cf. *sed et* = et (I, 23 ; II, 4). *Et non* = neque, *et nullus* = neque ullus (frequentissime).

b) Conjunctio causativa *nam* pro adversativis *autem*, *vero*, ponitur :

... Quam plurimi ... probantur occisi ; *nam* qui (= qui vero) gladiis interempti non sunt postea regio jussu necati sunt (I, 42). ... Liberum arbitrium habetis vestras missas agere. *Nam* si hoc circa eos (Arianos) non fuerit observatum... (clerici) jubentur inter Mauros mitti = si vero hoc... etc. (II, 4)... Vidit quidam Fausti ecclesiam solito in ornatu fulgentem ... *Nam* visionem istam sancto retulit Eugenio = visionem *autem*... (II, 18). Cf 29, 52, 90, 91 ; III, 38, 48.

Nam et = sed et = et :

... Antiquam illam libertatem in servitutem redegit ; *nam et* senatorum urbis non parvam multitudinem captivavit (I, 12).

Quia = nam :

Qui hos baptizaturi sunt parvulos...? ... *quia* vobis dictum est : quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlis (II, 34). ... Jurate si post obitum domini nostri... Hildirit desideratis esse regem... *quia* si

sacramentum hujus rei dederitis, restituet vos ecclesiis vestris (III, 19).

Imprimis notanda est hæc locutio quam e Vulgata Victor sumpsit : *ut quid* = gallic : *pourquoi ?*

Ut quid taliter affligimur (III, 16) ? *Ut quid* = ἵνα τί. Cf. *ut quid* mihi jejunatis (1) ?

c) Conjunctiones disjunctivæ pro copulativis :

Aut = et :

Quam nos cum increparemus quod importuna videretur *aut* viris pro sexu jungi, *aut* exercitui Christi sociari... (II, 30). ... Qui erit cognitor... ut libra justitiæ *aut* bene prolata confirmet, *aut* prave adsumpta refellat (II, 52) ?

Vel = et tam frequenter, ut, cum tædeat me omnia hujusce rei exempla hic colligere, quædam solum velim annotare :

... Qui reperti sunt, senes, juvenes, parvuli, servi *vel* domini, LXXX millia numerati (I, 2). ... Triginta et duo confecerat libros, exceptis epistulis *vel* expositione totius psalterii... (I, 11). ... (Præcepit) ut episcopos atque laicos nobiles de suis ecclesiis *vel* sedibus nudos penitus aufugarent (I, 14). ... Quare ita abjecte ambulas, *vel* qua ratione de tam longo itinere huc pergere demonstraris (II, 30) ? Cf. II, 34, 41, 42, 56, 57, 63, 74 ; III, 3, 5, 8, 11, 13, 16, 19, 24, 32, 48, 51, 52, 57, 58, 61.

d) Ut conjunctio finalis insolenter posita :

... Quid vobis videtur *ut* ita pertinaces sitis (II, 28). ... Constat esse prohibitum *ut* sacerdotes vestri conventus minime *celebrarent* (II, 39). ... Sapienter episcopi fecerunt, *ut*, licet mendicantes, exinde non *abirent* (III, 16). ... Jussit rex *ut* civitates atque ecclesias vestras nunquam *videatis* (III, 20). ... Juraverunt *ut rogarent* tortores (III, 28).

(1) Vid. Petsch., *indic.*; Gœlzer., *Latinit. de S[t] Jérôme*, p. 431 ; Hier., *Epist.* 23, 37.

e) Conjunctiones *ac, et, que* ita ponuntur, ut eorum usum et sensum vix possis enodare :

..... *Et* illi ut laudarentur in sæculo = illi *enim* (Prolog.). ... Palis minoribus dentatis jectis in capite crinibusque in eisdem colligatis *ac* vehementius stringentes... pelliculam capitis auferebant (II, 9). ... Amputatis igitur in brevi omnibus quos timebat *et* solidans sibi, ut putabat, regnum (II, 17). ... Et quia in provinciis a Deo nobis concessis scandalum esse nolumus, *ideoque* hoc nos statuisse cognoscite (II, 39). ... Adtendens quoque Eugenius in verecundam credulitatem, *et* quia jam tempus urgebat, pergit (II, 50).

B. — DE STYLO VICTORIS

CAPUT PRIMUM

DE VERBORUM COLLOCATIONE

Quanquam Victor grammaticorum regulis, ut vidimus, parum studet, multum, at quidem prave, in verbis concinne collocandis elaborat.

a) Sæpius sententias duobus verbis inter se stricte conjunctis, substantivo et ejus adjectivo, verbo et verbi objecto, concludit (1), quod in exemplis sequentibus videre est :

Ut famam *suæ* terribilem faceret *genti* (I, 1). In *porta* incensus est *Fornitana* (I, 10). *Illud* eloquentiæ quod ubertim per omnes campos Ecclesiæ decurrebat, ipso metu siccatum est *flumen* (I, 11). *Horum* quos genuisti miserere impia *parvulorum* (III, 26). *Cujus* veritatem *sacramenti* (I, 19). *Quarum* unam *illarum* (I, 14). Cf. Optat. Mil. : *Illorum* quorum nolo *hominum* facere mentionem (III, 6).

b) Sæpissime nomen substantivum post pronomen relativum, iteratur, vulgaris eloquii imitatione. Hujus rei exempla alias inveni :

Mulier...; quæ mulier (Petr. 42). ... extra eum *agrum, qui ager* (*Corp. inscrip. lat.*, I, 200).

(1) Hoc gallice *enclavement* dicimus.

Hæc iterandi relativi consuetudo dicitur apud jurisconsultos frequens fuisse (1).

Cf. Hygin. (29) : ... *Qui* cum *Amphytrion* in regiam intrasset (119) : ... *Qui*, occasione capta, *Orestes* cum Pylade noctu Clytæmnestram ... interficiunt (2). Victor : Per angustias maris *quod* inter Hispaniam Africamque *æquor*... angusto se limite coarctavit (I, 1). *Qui*... surgere noluit *cæcus* (II, 48). *Qui* quum noster *libellus* legeretur oblatus (III, 1). Cf. Optat. Mil. : *fides*... cujus *fidei* (I, 1) ; *sacramentum*... cujus *sacramenti* (I, 5).

c) Eodem modo iterantur apud Victorem alia vocabula :

... *Cujus* si nitatur quisquam quæ per *illum* dominus fecerit, paulatim excurrere (I, 24). ... Novimus et alium ea tempestate nomine *Saturum* qui cum lucidum esset membrum ecclesiæ *convenitur* accusante Marivado... ut fieret *Saturus* arianus (I, 48). ... Si diligeres *maritum* nunquam ad secundam mortem attraheres *proprium virum* (I, 50). ... Ut *nostræ religionis episcopi* qui in Constantinopolim sunt... ex ejus præcepto *episcopi nostri* liberum arbitrium habeant (II, 4). ... Vitantes igitur *nostri* tumultus ne forte postmodum Ariani dicerent quod eos *nostrorum* oppresserit multitudo, deligunt de se *nostri*... decem (II, 53). ... Libellum de fide *conscripserant*, satis decenter sufficienterque *conscriptum* (II, 55). ... Se ipse *voluntarie* separare *voluit* (III, 37). ... Qualibus cruciatibus *evisceratæ* vel *eviscerati* sint (III, 24). ... *Deficiebant* fame torquente *defecti* (III, 59).

Pronomine relativo sententiæ colligantur, sæpius quam ut omnia hujusce rei exempla citare possim ; et id quidem eo magis admirandum duco, quo magis in dies invaluerat consuetudo dissolute scribendi, ut fit in romanicis linguis, ubi sententiæ

(1) Salom. Reinach. G[re] *lat.*, p. 347.
(2) Petschenig : *Handschriftliche Ueberlieferung*, p. 53.

plerumque non verbis, sed sensu continuantur. Quæ sequuntur ex eodem loco sumpsi :

Ex *quibus* unam nostram Dyonisiam nominabo (III, 22). *Quæ* quum peteret diceretque de domino suo secura (Ibidem). *Quæ* inter ictus virgarum... libera voce dicebat (Ibidem). *Cui* inter crudelia verbera constituto (Ibidem). Cf I, 17, 18, 19, 20, 21, 27, 46, 47, 48, 49 ; II, 1, 2, 9, 11, 25, 27, 30, 32 ; III, 1, 2, 6, 7, 16, 19, 26, 27, 29, 35.

d) In collocandis verbis, poetas Victor sæpe æmulatus est. Inde evenit ut multæ in ejus libro sententiæ truncatis versibus similes sint :

... Africam *confuderat omnem* (III, 56).
Humida tunc in *valle locatus* (III, 56).
Ipsa suis genua *complectitur ulnis* (I, 49).
.. Cœperat *proferre colorem* (III, 56).
... Scindens *vertit aratrum* (III, 57).
(Cultura) reddebatur *debita terris* (III, 57).
. . *Sylvarum secreta petebant* (III, 58).
. . Fame *debellante cadebant* (III, 58).
. . Omni ex *parte necabant* (III, 58).

e) Frequentissima est apud Victorem constructio quæ dicitur *ad sensum :*

Hæc, inter multa, exempla referenda duxi :

Turbam clericorum navibus fractis impositam *nudos* atque *expoliatos* expelli præcepit (I, 15). Quorum ingens *numerus*, vigore *invicti*, militiam temporalem abjecit (II, 23). *Turba* fidelium *inæstimabilis* descendebat cercos manibus *gestantes* (II, 34). Publico crimini hujusmodi *personæ* se cognoscerent esse *subjectos* (III, 9). *Universus clerus* ecclesiæ Carthaginis cæde inediaque *maceratus* procul exsilio crudeli *traduntur* (III, 34). Illa *beatorum turba* minata est foras, ob hoc jugiter *lamentantum*, quod eam in claritate pristina nequaquam *viderit* iterum restitutam (II, 18). Ut *nullus* quempiam illorum hospitio *reciperet*, aut alimoniam *præstitissent* (III, 15). Ut cum nostræ religionis illorum mensam *nullus* communem *haberet*, neque cum catholicis omnino *vesceren-*

tur (II, 46). Non pomorum *virgulta* gemmas produxerant florum, postea fructus *edituræ* (III, 55). Puerorum vel etiam puellarum *agmina* simul et funera passim diffundebantur, *circumeuntes* oppida (III, 57). Dum *uterque* sepulturam suam in vultu *portarent* (III, 60).

f) Sunt quædam sententiæ prave constructæ quæ ut *anacoluthi* exempla, in Petschenigii indice habentur :

... *Aliosque* videas nimio suspendio palis evulsis *caput*, quod eminere solebat, in medio scapularum fuisse demersum (III, 31).... Nam cum diversis eum persecutionibus affligeret, nec posset facere Arianum (promiserat enim suis) at ubi in sua promissione minor inventus est ; cogitat aliud (III, 45).

g) Non minus frequens est *asyndeton* :

... Et iterum conspergatur, mittatur in furnum (I, 21). ... Surge, vade ad servum meum Eugenium (II, 17). ... Orat veniens cum ingentibus lacrimis, suggerit cuidam diacono (II, 48). ... Ut nullum ad eum introire permitteret, insuper extinguere cogitaret (III, 43). ... Pergit tunc ad Carthaginem, adire censuit nefarium regem (III, 53).

CAPUT II

DE SERMONIS ABUNDANTIA

Magnopere Victor studet vocabulorum redundantiæ quibus utitur sæpe ut sonantem illum oratorum numerum assequatur :

§ I. — DE SYNONYMIS

Imprimis sunt recensenda synonyma quæ omnium maxime Afri cumulasse videntur. Hæc Arnobius cum libidine coacervavit nulla conjunctione juncta :

... *Infinitus, ingenitus, immortalis, perpetuus* (I, 30). ... *Nesciente, ignaro,* atque *inscio* (II, 54). ... *Senes, canos, decrepitos* (II, 13). ... *Talis* atque *hujusmodi* (II, 45). ... *Amplexari, amare, suspicere* (I, 25).

Fateor Victorem minus istiusmodi synonymorum coacervationi indulsisse, ut sequentibus exemplis comprobatur :

Magnum et *spatiosum* (I, 1) ; ... *exiguus* et *infirmus* (I, 1) ; ... *venerabilis* et *reverendus* (II, 6) ; ... *celebris* atque *manifesta* (II, 8) ; ... *prudens* et *sapiens* (II, 12) ; ... *nudum* atque *destitutum* (II, 14) ; ... *annosum* atque *veteranum* (II, 15) ; ... *otiosus* atque *securus* (II, 17) ; ... per *dura* atque *aspera* lapidum loca (II, 36) ; ... *recusantibus* et *nolentibus* (III, 44) ; ... *urens* et *igneus* flatus (III, 56).

Hunc synonymorum usum apud rhetores in honore fuisse certum est. Non enim dissimili modo locutus est Tacitus qui synonymis est abusus, præsertim cum, recenter e rhetorum scholis egressus,

adhuc juvenis, *Agricolæ vitam* et *Dialogum de Oratoribus* conscripsit ; ex quibus libris hæc juvat excerpere :

Agric. 4: ... *Incensum* et *flagrantem* animum; ... *Sublime* et *erectum* ingenium ; ... Pulchritudinem ac speciem *excelsæ magnæque* gloriæ. 46 : ... Velut *inglorios* et *ignobiles* ; ... Posteritati *narratus* et *traditus*. Dialog. 1 : *Memoria* ac *recordatione* ; 6 : *Veteres* et *senes* ; *Vetera* et *antiqua*, etc.

§ II. — DE VERBIS PLEONASTICE POSITIS

His addi possunt verba pleonastice posita velut *cœpisse, dignari, malle, velle, videri* :

Cœperunt celebrare = celebraverunt (I, 18). ... *Cœpit* mitius et moderatius agere = egit, etc. (II, 1). ... Ante *incipient* verba deficere (I, 24). ... *Incipient* eum martyrem prædicare (I, 44). ... Pejora *incipient* pati (II, 24). ... Neapolim perducere *dignatus est* (= perduxit) (I, 15). ... Quamdiu *mallent* ad conflictum propositum pervenire (III, 7). ... *Voluit liberare* = liberavit (I, 17). ... Quare contra præceptum evangelii *jurare voluistis* (III, 20). ... Se ipse *voluntarie separare voluit* (III, 37). ... In ipsis eremi partibus *voluit* sanctum Eugenium relegare (III, 43). ... Quare dolis et calumniis egerunt... et totum *subvertere voluerunt* (III, 63) ? Occurrere *visi sunt* = occurrerunt (I, 17). ... Tres tantum *esse videntur* (I, 29). ... Indutias *visa est* petisse (I, 49). ... Ita sancto viro Eugenio mandasse *videtur* (II, 43). ... Primo die, ab episcopis nostris *videtur* esse propositum (III, 5). ... Hoc *videntur* adsumpsisse temeritate (III, 6). ... (Obstinatio) quam pravis *videntur* adsumpsisse consiliis (III, 7). ... Conductores possessionum tali pœna *videbantur* affligere, ut si forte tales celare *diligerent* (III, 11). Cf. *Posse*. V. II, 23, 39 ; III, 45, 51, 60.

Hic verbum *diligerent* pleonastice quoque ponitur ; nam *celare diligerent* = celarent. Idem dicendum est de verbis *probor*, *monstror*, *demonstror* quorum

usum jam supra annotavi (1); quibus omnibus exemplis abunde liquet Victorem verborum ambitum parum solerti modo affectavisse.

§ III. — DE ADJECTIVIS POETICO MORE USURPATIS

At magis etiam miraberis, in prosa illa et vulgari Victoris oratione, plurima nomina adjectiva poetico more usurpata :

Arbustis fructiferis (2) (I, 3). *Rabido* respondisse *ore* probatur (I, 18). ... Sub *ardentis solis* incendio (II, 10). ... Tempestatis *sonivago* (3) flatu (II, 19). ... *Veloci* agilitate (II, 48). ... *Nudo sub aere* (III, 16). ... Per *vacuum aerem* (III, 31). ... *Cursum palmiferum* consummavit (III, 24). ... *Minacibus* separans *gladiis* (III, 39). *Fallacis aquæ* gladio (III, 47).

Hoc fuit vitium scriptoribus labentis latinitatis commune qui sine discrimine et incallide poetas et oratores imitabantur, atque in iisdem operum suorum locis æque poetica et rhetorica verba congerebant. Nam mos erat in scholis, quæ maxime enitebant in poetarum operibus soluto sermone exprimendi ; sic, discipuli iratam Junonem quod non posset Ænean ab Italia arcere, grandi oratione conabantur depingere. Hæc in Africæ scholis agebantur (4). Sed, quinti sæculi fine, adeo rude et imperitum erat scriptorum judicium ut, cum poetis, Vergilio præsertim, legendis, mentis aciem exacuere debuissent, nihil proficerent, inconcinna autem imitatione scripta sua deformarent.

(1) Vid. p. 137.

(2) Apud classicos scriptores *frugifer* ; apud Lucretium *frugiferens* : ... terras frugiferentes (I, 3). *Fructifer* apud Plinium et Columelam.

(3) Non inveni hoc vocabulum in lexicis (Quicherat ; Freund. etc.)

(4) *Sancti Aug. Confess.*, I, 14, 16, 18.

§ IV. — DE ELOCUTIONIS FIGURIS

Quantum, Victoris ætate, illud scriptorum judicium fuerit depravatum attestantur quoque creberrimæ apud eos elocutionis figuræ. Attamen, Victori ignoscas velim qui, quanquam verba proprie dicta nimis rejecit, aliquoties elocutionis figuris non sine gratia et styli vigore usus est. Quatenus, in his adhibendis, Victor a recta scribendi consuetudine recesserit, exemplis sequentibus dijudicabitur, in quibus præminent μεταφόραι quæ dicuntur :

At ubi ventum est ut cubiculi adirentur *secreta silentia* (I, 31). Cf. Lucret., IV, 461 : *Severa silentia* noctis. — Ovid. *Metam.* (VII, 184) : ... Per *muta silentia* noctis ; idem (1,232) : ... Fugit, nactusque *silentia* ruris...

Isto modo *fidei* infringere non valuit *murum* (Vict. II, 10). Cf. Cic., in *Pisonem* 4 : Lex Ælia... propugnacula *murique* tranquillitatis. Ovid. *Met.*, XIII, 280 : Graium *murus* Achilles = gall. : le *rempart* des Grecs.

... Ut *ager* jam cultus et egraminatus, *vomere prædicationis* evangelicum susciperet *semen* et *imbre* sacri baptismatis rigaretur (I, 36) = ut Mauri, prædicationis munere, ad Christi religionem attraherentur.

... Quibus prosequar *fluminibus* lacrimarum (II, 26)?... *Imbribus* lacrimarum (III, 43). Cf. Vergil. *Æn.*, I, 465 : Multa gemens *largoque* humectat *flumine* vultum. Ovid. *Trist.*, I, 3, 18 : *Imbre* per indignas usque cadente genas.

... Dominus *passerem* suum *de manibus accipitrum* voluit liberare (I, 27), id est : Deogratias episcopum iratis Arianis subtraxit.

... Per *gladios acutos petrarum* caput conterebatur (II, 36) = per petras ut gladii acutas.

... Sed cum *ignis persecutionis* accenderetur... (II, 47) = gallic. ardeur, haine, colère. Cf. Vergil., *Æn.*, II, 575 : Exarsere *ignes* animo : subit ira cadentem Ulcisci patriam. — Liv., X, 24, 13 : Ne parvus hic *ignis* (Hannibal) incendium ingens exsuscitet.

... Jactantur Christi confessores, unus super alium,... *ut grana pretiosissima* frumentorum (II, 32).

... Qui *membra* aliqua absciderat, totum laniando perderet *corpus* (Ecclesiam). Cf. Optat. Milev. : *membra* laniastis Ecclesiæ (VI, 2).

Quod vocabulum hoc sensu adhibitum a bonis auctoribus, in Francogallorum lingua frequens est : les *membres* de l'Académie, du Parlement (V. Littré : *Dict. de la lang. française*).

... Cum ingenti gemitu, *pulsans singultibus* cœlum (II, 50). Cf. Verg., *Æn.*, III, 619 : Vasto qui vertice nubila *pulsat*. Claudian. *de Bello gethico* 625 : ... Ululatus *pulsat* aures. Petron. Sat. 679 : *Pulsare* urbes rumoribus.

— *Verberans* eum *nutibus* oculorum (III, 23). — Cf. Liv. 34, 62 : Scipio... finire *nutu* disceptationem potuisset (nutu = d'un signe). — Ovid. *Trist.* 2, 453 : Digitisque sæpe est *nutuque* locutus. — Notandum est imprimis hoc gallicum : *jeter un coup d'œil, frapper d'un coup d'œil.*

— ... Confortavit germanum ad *prœlium passionis* (III, 28), quod gallice dicas : il encouragea son frère à supporter *les assauts de la douleur*. — ... *Lucernam* evangelici *luminis* (III, 40), quod quidem melius gallice dicitur : la lumière de l'évangile. ... Dum uterque *sepulturam suam* in vultu portarent (III, 60) = mortem, mortis signum. — ... *Spiritus tempestatis* et *procella sui furoris* (III, 63). — Cf. Cic., *Mil.* 2 : Vita quieta, remota *a procellis invidiarum*. — *Expirantium funera* (III, 58) = des cadavres vivants. — Cf. Horat., *Od.*, I, 28, 19 : *Mixta* senum ac juvenum densentur *funera* (cadavres). Vergil., *Æn.*, IX, 491 : Cum semel infernas intrarunt *funera* leges (quand les morts sont sous l'empire des lois infernales). Propert., I, 17, 8 : Hæccine parva meum *funus* arena teget ! (funus = corpus). — ... Videte Africam totam dudum tantarum ecclesiarum *cuneis* fultam (III, 70). — Cf. Tertull., *Adv. Marcionem*, I, 21 : Hoc *cuneo* veritatis omnis extruditur hæresis.

In hoc loco citandi mihi videntur verborum lusus

quorum exempla apud Africæ scriptores haud rara sunt :

Victor : Quia non *Indigens,* sed *Saturus* vocabatur (I, 48). Cf. August. : *Perpetua et Felicitas,* coronis martyrii decoratæ, *perpetua felicitate* floruerunt (1).

Verba contraria contrariis opponuntur quod *oxymoron* appellatur :

Hujus vitæ *amara dulcedo* (1, 50). *Animata cadavera* (III, 60). Cf. Optat. Mil. : *tacitus loquitur* (V, 3). *Stulta sapientia* (VI, 1). Cf. August. : Herodis *crudelem timorem.* O *sævitia misericors !* Quædam *indocta doctrina* (2), etc.

Hæc erat jamdiu rhetorum consuetudo inusitata verborum junctura mentem percellere. Cicero ipse dixerat : Cum *tacent, clamant* (*Catil.*, I, VIII, 21).

(1) V. Régnier *(opere citato)*, p. 118, sq.
(2) V. Régnier, p. 120, sq.

CAPUT III

DE QUIBUSDAM VENUSTIORIBUS LOCIS

Exemplis quæ huc usque retuli, liquet Victorem styli ornamenta quæ apud poetas et oratores inveniuntur, non ignorasse, iis autem male usum fuisse. Attamen, nemo infitiabitur Victorem, in quibusdam Historiæ suæ locis, se scriptorem commovendis sensibus idoneum præbuisse. Nihil enim earum rerum quæ misericordiam movere possent, Victor omisit. Ut pauca in ejus libro exempla sumam, cum Vandalos, senes et pueros interficientes in scenam inducit, vividam senum quorum caput canis capillis, ut « lana candida » obumbratur, infantumque imaginem e matrum gremio raptorum, ante oculos profert. Movetur enim Victoris animus tot inauditorum facinorum spectaculo aut memoria ; ac sæpe christianorum calamitatibus illacrimatur : « Quis sustineat atque possit sine lacrimis recordari, « dum præciperet nostrorum corpora defunctorum « sine solemnitate hymnorum cum silentio ad sepul- « turam perduci (1) ? »

Nemo non depictam a Victore deplorabit captivorum calamitatem qui Africæ navem appulerunt ; quorum inopia et ærumnæ ita exprimuntur ut

(1) Vict. Vit., I, 16.

nullum spectaculum reperire possis quo major misericordia moveatur.

Abundant quoque narrationes cum venustate scriptæ. Legas velim illam qua in scenam inducuntur Maxima et Martinianus quos matrimonio jungere Gensericus statuerat.

« Martinianus adulescentulorum sæcularium more conjugium affectabat ; Maxima jam Deo sacrata « humanas nuptias refutabat. At ubi ventum est ut « cubiculi adirentur secreta silentia, et Martinianus, « nesciens quid de illo decreverat Deus, maritali « fiducia quasi cum conjuge cuperet cubitare, viva « ei voce memorata famula Christi respondit : « Christo ego, Martiniane frater, membra mei cor« poris dedicavi, nec possum humanum sortire « conjugium, habens jam cœlestem et verum spon« sum (1). »

Sed si illa « dulcia vitia » quibus optime quæ fuerit, in scholis, Victoris temporibus, ars scribendi, declaratur, cognoscere velis, lege famis descriptionem quæ est in libri fine. In hoc loco multa sunt quæ Victor a rhetoribus et imprimis a poetis mutuatus est ; in quo eum credo multum elaboravisse, ut in illo materiarum genere, quo tirones apud rhetores sese exercere, et claros scriptores et poetas imitari solebant. Omnia poetico more Victor describit, vitim foliorum ornamentis, arboresque floribus denudatas fluminaque jam non per campos decurrentia, cunctaque ventorum igne arentia. Jam nullus

(1) Vict. Vit., I, 31-33.

est in campis arator, diffugiunt undique senes puerique puellæque, vitam bestiarum modo, sustentantes. Pereunt fame homines, et alii super alios corruunt. Sic fere Lucretius (VI, 1250, sq.) Atheniensium cadavera, confusa strage in domorum liminibus prostrata, depinxerat, imitatus ipse Thucydidem qui hæc dixerat : νεκροὶ ἐπ'ἀλλήλους ἀπο θνήσκοντες ἔκειντο. Cum quibus Thucydidis et Lucretii locis hæc Victoris conferre non dubito : « Nonnulli, cum domo « niterentur egredi, in ipso limine corruentes, cater- « vatim, fame debellante, cadebant ; stratæ vero vel « semitæ cadaveribus repletæ exhalantium fetore « mortuorum gradientes vivos omni ex parte neca- « bant. Nec deerant quotidie expirantium funera, « et non fuerat virtus, quæ miserationis impenderet « sepulturam ; neque enim sufficiebant ad sepelien- « dum vivi, fame dominante et ipsi post paululum « morituri. Montes et colles, plateæ civitatum, viæ « vel semitæ unum omnibus fecerant ubique sepul- « chrum (1). »

Non minorem movent misericordiam enarratæ illorum qui supererant calamitates. Isti enim, salutem desperantes, miserrimam vitam perpetua servitute emere conabantur, atque Carthaginem, velut « animata cadavera » concurrebant. Qui repulsi, sine ulla patriæ repetendæ facultate, ubique jacebant, « sepulturam suam, ut ait Victor, in vultu portantes ».

Tantis calamitatibus Victor memoriam illorum

(1) Vict. Vit., III, 58.

temporum quibus erant in Africa civitates civium numero et divitiis insignes, opponit ; quam rerum mutationem graviter et expresse depingit : « In tan-« tum sibi devastans vindicavit fames dominium, ut « loca nonnulla et admodum populosa habitatoribus « extinctis alto nunc silentio, parietibus solis extan-« tibus, conquiescant (1). »

Hæc omnia vi sententiarum nos movent, quamvis mendoso sermone sint dicta. Quantum animum afficerent, si Sallustiana aut Liviana lingua enarrarentur !

(1) Vict. Vit., III, 60. — Alia sunt loca notanda : Vide : II (28-35) ubi de episcopis et presbyteris per invia incedentibus Victor loquitur ; III, 26 ; III, 49-52 ; III, 53-55 (Habetdeum oratio ad Hunericum) ; III, 64-71.

CAPUT IV

TOTIUS THESIS SUMMA

Huic commentationi, quanquam minus perfectæ, finem impositurus, præcipua eorum quæ dixi, breviter repetere et in summam contrahere volo, ut plane, quid de Victore sentiam, appareat.

Movemur et interdum delectamur iis quæ Victor narrat ; quibus fideliter renovatur in nobis notitia et sensus ætatis illius qua Barbari, hominum generi infensi, spreto omni divino atque humano jure, terrarum orbem, prout libido suadebat, ferro igneque subvertebant ; atque tantas calamitates, lecto Victoris libro, non solum meditamur, sed, quasi testes, contemplamur. Hoc fit ut, rebus ipsis attracti, quid historicis Victoris artibus desit, interdum nos fugiat ; et multa tamen in ejus Historia desunt, inter quæ bene composita narratio, ordoque rerum, servataque temporum series præcipue desiderantur. Possumus quoque Victori objicere quod proprium animi affectum non satis dissimulavit, iræque et odio, Vandalorum facinoribus jure concitato, aperte indulsit. Attamen, ei non succensere debemus quod Vandalorum crudelitatem atrocius adumbravit. Tot enim Africæ clades, tot christianorum dolores Victor vidit et flevit, ut, in iis enarrandis, memoria excruciatus animus, odium

non effundere nequiverit. In medio rerum spectaculo, ut in pugna miles, positus, eas haud facile poterat aliis quam quos mens excitata suadebat coloribus, depingere.

Venia igitur donandum duco Victorem, et ideo præsertim quod ex iis quæ tam atrociter enarravit, non minus quam ex aliorum scriptorum operibus qui Galliarum et Hispaniarum vastationem retulerunt, veritas sincera emergit; atque, narrante Victore, revera compertum habemus Afros summa vi et assidue Vandalis obnixos, omnia quæ possunt excogitari mala tolerare debuisse.

Nec dicat aliquis Victorem quidquam falso dixisse aut dicendo amplificavisse. Nam quædam admiratione digna Victor tacuit quorum nos certiores fecit Gregorius Turonensis qui ex divulgatis per Africam *Martyrum passionibus* luculenta documenta excerpserat (1) ; in quibus viri nominantur quorum nomen apud Victorem frustra requiras. Quinimo non omnia egregia Eugenii Carthaginiensis facinora Victor retulit (2), quanquam eum summopere admirabatur; quæ profecto non neglexisset, si quidquam effingere aut in majus extollere voluisset.

Nunc locus est videndi qualem inter Africæ scriptores locum Victor obtineat. Profecto eum non dubitabo in numero eorum reponere apud quos,

(1) Greg. Tur. *Hist. Franc.* II, cap. 3. *Patrol. lat.*, LVIII, col. 770 :

(2) Ut id obiter dicam, nihil dixit de direpta a Vandalis basilica, in qua S^ti Cypriani reliquiæ miro honore colebantur (Procopius *opere citato* II),

in Africa, latini eloquii laudes maxime evanuerunt. Etenim, cum, eodem fere tempore, apud Gallos, in Sidonii Apollinaris et Salviani operibus, quidam loci adhuc niterent, Afrorum sermo corruptus et lapsus, nihil jam probæ latinitatis retinebat. Quantum Victor differat ab Arnobio, a Lactantio, ab Optato Milevitano et ab Augustino facile et statim compertum est. Arnobii stylo inest ingens et continuus vigor ; atque, etsi sæpe maluerit nove quam proprie dicere, ut stylum adversus paganos magis exacueret, sunt in ejus libro loci quos discipulis oratorias laudes appetentibus proponere non dubitaverim. Quid dicam de Lactantio cujus stylus nitorem et flumen orationis ciceronianæ refert ? Arnobio similis videtur mihi Optatus; qui Donatistas, ut ille paganos, sententiis creberrimis lacessit, stylo non semper satis expolito, sed tamen nobili et vehemente usus. Inter eos eminuit Augustinus qui flexibilem admodum orationem hominibus ad quos aut loquebatur aut scribebat accommodavit. In contionibus ante populum habitis populari quadam facilitate et licentia usus est. At rursus, cum arduis theologiæ et philosophiæ quæstionibus mentem intendit, ciceronianum vel platonicum nescio quod ejus oratio habuit; in epistolis vero, sententiarum gravitatem verbis cum quodam mentis acumine dictis temperavit. Denique affirmari potest scriptores illos quamvis maculis non fuerint expertes, scribendi arte non aspernandos exstitisse, ita ut omnes viri theologiæ et philosophiæ et litterarum

studiosi, eos non sine delectatione et fructu lecturi sint.

Quis vero eadem dicere audeat de Victore, quamvis, ut vidimus, non omni laude careat? Ejus librum, si historiæ regulis attendas, mediocrem, grammatici præsertim considerare possunt ut elocutionis monumentum quæ, in puri sermonis vicem, in scriptis, sese insinuaverat. Illius elocutionis characterem satis, credo, in hac commentatione, illustravi, mutatas in declinatione et in conjugatione vocabulorum formas, mutatos etiam sensus substantivorum et adjectivorum et verborum, et pravum omnium orationis partium usum enumerans ; cujus dissolutionis exempla nescio an plura apud alium scriptorem quam apud Victorem inveniantur. Quæ quidem idcirco mihi videntur consideratione digna, quia idem ille scriptor plebeius, styli laudem affectavit, et multa rhetoricæ artis usurpavit instrumenta. Quis dicat qua ratione fieri potuerit ut, in Victoris libro, neglecta et abjecta plebeii sermonis verba rhetorico vel poetico more concinnarentur, et in iisdem locis vulgi licentia et rhetorum disciplina appareret ?

Hæc documento sunt quantum in deterius apud Afros, Victoris ætate, latinitas lapsa fuerit, quamvis magnopere sive rhetores, qui non omnino evanuerant, sive discipuli eniterentur ut aliquam celebrium scriptorum imaginem exprimerent.

Verum illius mali quo latina lingua, in Africa laborabat, jam non, multis de causis, erat remedium. Nam, etsi ditissimorum civium filii, teste

Ferrando (1), egregie, in media Africa, quinto sæculo, educarentur, credendum est, Vandalis sævientibus, multas scholas clausas fuisse, multosque rhetores et magistros in exsilium actos. Vandali enim, quanquam romanam rerum administrandarum rationem conservaverant, ægre patiebantur illas quibus præerant magistri romani scholas, ubi juvenes alienigenæ dominationis odio imbuebantur. His causis, in devastatis Africæ urbibus obmutuere artes, et recte scribendi facultas exaruit.

(1) *Vit. Sti Fulg.*, cap. I.

APPENDIX

DE OPUSCULO QUOD INSCRIBITUR : « PASSIO SEPTEM MONACHORUM »

Victoris Vitensis historiæ persecutionis africanæ provinciæ subjungitur, tum in codicibus manuscriptis, tum in Ruinarti et Halmii et Petschenigii editionibus opusculum cui titulus est *Passio septem monachorum*.

Quamobrem operæ pretium esse duxi breviter quasdam de hoc opusculo quæstiones retractare, postquam fusius quæ ad librum de persecutione vandalica pertinebant explanavi, quæ mihi præcipua cura fuit. Quanquam de septem monachorum Passione Ruinartus, Halmius, Ebertus (1) et Petschenigius disseruere, locum esse credidi, etiam post eorum elucidationes, nova exquirendi argumenta quibus, si fieri possit, videatur num Victor illum libellum scripserit.

Primus omnium, septimo decimo sæculo, Ruinartus argumenta congessit quibus apparet Passio-

(1) *Hist. de la Littérat. lat. chrétienne en Occident.* Parisiis, Leroux, 1883.

nem *probabiliter* Victori attribuendam esse; eumque nuper Halmius et Ebertus secuti sunt. Petschenigius autem Passionem monachorum non Victoris sed incerti auctoris esse opus probare nisus est argumentis quæ partim perpendere, partim refellere in animo habeo.

Ruinartus duxit ex eo concludi posse a Victore scriptam fuisse Passionem, quod hæc in omnibus quos ei videre licuit codicibus manuscriptis post Historiam inveniatur; immo, in quibusdam quarta aut quinta historiæ pars habetur ; in uno illorum verbis *Explicit historia...* hæc subjunguntur : *Incipit* Passio septem monachorum *superius promissa ;* quibus si fidat lector, facile colligere possit Victorem ipsum posterius scribendæ Passionis consilium aperire voluisse ; quæ tamen verba liberius a librario fuisse interpolata omnium oculis apparet.

Illam tamen Ruinarti opinionem Petschenigius nimia vi, credo, impugnat. Mihi autem nonnullius pretii esse videtur hæc codicum congruentia, etsi in plerisque nulla de Victore ut *Passionis* auctore mentio fiat. Ut enim homines qui medio ævo, cognoscendæ rerum ecclesiasticarum historiæ operam dabant, Passionem cum Historia persecutionis vandalicæ conjungerent, rationibus ducebantur, quæ nos fugiunt ; quod nullo modo fecissent, si e tot passionibus et actis martyrum quæ erant divulgata, vel unum documentum emersisset quo deorum opinioni adversaretur. Itaque, cum Historia et Passio re tractata et sermonis similitudine germanum quoddam

haberent, eas in iisdem codicibus naturali vinculo consociare illis haud absurdum visum est.

Minoris quoque esse momenti contendit Petschenigius hanc linguæ similitudinem quam ego, ut olim Ruinartus, argumenti loco ponendam censeo. Haud infitior, ut passim in hac commentatione annotavi, eumdem fere dicendi morem, easdem styli ampullas quæ simul et in Historia et in Passione animadvertuntur, omnes deteriores Africæ scriptores affectavisse. Inveniuntur vero in Passione quædam quæ Victori peculiaria sunt; quod si quædam alia discrepant, quis miretur scriptorem eadem non eodem modo semper dixisse?

At, cum illa styli quasi cognatio negari non possit, Petschenigius affirmat incertum auctorem ad Victoris elocutionis imaginem Passionem composuisse. Quæ causa fuerit cur scriptor quidam suum opus alii attribui voluerit non video, cum neque utile nec gloriosum esset Victorem, utpote mediocrem historiarum scriptorem æmulari, liceretque sine laude opus, nullo auctoris inscripto nomine, in publicum edere.

Non tam exilia sunt argumenta quæ Petschenigius profert ex rebus quas in Passione ut veritati repugnantes considerat. Negat imprimis Hunericum furore exarsisse quod septem monachos, dum in vinculis Carthagine essent, christianorum multitudo frequentissime salutaret ; quo tamen nihil magis veritati consentaneum videtur, Vandalorum res gestas recognoscenti. Legimus sæpe apud Victorem

Genserici et Hunerici iram commotam fuisse, cum viderent firmissimam clericorum inter se et cum populo, vel in maximis periculis, concordiam ; qua in dies crescente majus non fuit apud arianos presbyteros incitamentum ut in eos regis furorem concitarent.

Alia sunt quæ Petschenigium magis offendunt. Cum Passionis auctor ecclesiarum portas *cæmentis ingentibus* Hunerici jussu, occlusas fuisse commemoret, in Historia autem simpliciter de portis clausis mentio est : quæ non idem auctor potuit dicere. Qui quidem Passionis et Historiæ loci, ubi verbum *claudere* idem significans ab auctore usurpatur, inter se consentiunt. Hæc enim leguntur : Historia, I, 41 : *Dum in quodam loco, ob diem paschalis honoris, nostri sibimet clausam ecclesiam reserarent, compererunt Ariani* (I, 41) (1). Passio, 5 : « *Post modicum quoque temporis universas simul ecclesias cæmentis ingentibus claudi mandavit* (Hunericus). » Quod multo crudelius quam sub Genserico factum fuisse credibile est, cum in dies, sub regni fine, extra humanum modum Hunerici immanitas cresceret.

Non minus Petschenigio supra fidem esse videntur quæ illis verbis Passionis auctor subjungit (Passio, 5) : ... *Universa namque monasteria virorum vel puellarum sanctarum gentilibus,* id est *Mauris, cum habitatoribus donare præcepit.* Scriptori talia narranti irridet Petschenigius ; at, hercle, pessime

(1) Hoc evenit, regnante Genserico.

errat. Nonne olim catholicos qui post captam a Genserico Romam (mense junio 455) Italiam fugiebant atque navem in Africam appellebant, Vandali Mauris ut prædam dederant? Quod videndum est apud Victorem (I, 25) : ... *Quæ dum multitudo captivitatis africanum attingeret littus, dividentes Vandali et Mauri ingentem populi quantitatem...* Alias (I, 35) : ... *Decernit* (Gensericus) *cuidam gentili regi Maurorum relegandos debere transmitti* (II, 38) : ... *Congregantur universi* (4976) *episcopi, presbyteri, etc., in Siccensem et Larensem civitates, ut illuc occurrentes Mauri sibi traditos ad eremum perduxissent.* Profecto Vandali Maurorum incursiones, vel Genserico regnante, semper reformidaverant; idcirco eos ut a suis finibus prohiberent, christianis eorumque divitiis, ut præda, donabant. Verisimile est monasteria etiam dono data fuisse, quæ, principio, christiani in desertis regionibus, nec longe a Maurorum gente ædificaverunt ; quæ Mauris dari jussisse Hunericum facile fatebitur quisquis in Vandalorum rebus gestis legerit eos, fractis Afrorum contagione viribus, debilitato et labefactato Hunerici regno, summopere turbulentam et minacem Maurorum multitudinem horruisse.

Historiam igitur adulterasse arguitur a Petschenigio Passionis auctor, præsertim in locis ubi Martyrum supplicium et funera describuntur ; unde in rem suam Petschenigius congessit argumenta quæ facile refelli posse credo.

Narrat Victor Carthaginis clerum in exsilium

actum esse (III, 31) antequam de septem monachis brevem mentionem, quasi obiter, facit. Si Victori fidas ut scriptori temporum seriem observanti, certum est clerum jam non Carthagine degisse, die quo, Hunerici jussu, monachi necati sunt. Horum autem funera in Passione (15,16) *cum hymnis solemnibus et prœeunte clero carthaginiensi* facta dicuntur. Quin etiam Passionis scriptor, ut vult Petschenigius, ignorat hujusmodi funera jampridem a Vandalorum regibus vetita fuisse(1) ; in quem errorem non lapsus esset qui et Historiam et Passionem conscripsisset.

Cui maximi quidem momenti argumento respondere dubitarem, si vir historiæ scribendæ peritus et in singulis rebus secundum tempus enarrandis diligentissimus Victor habendus esset. At necesse est, ut vidimus, alium de eo ferre judicium. Itaque, cum in iisdem fere libri sui locis de Carthaginis clero et de monachis Victor verba facit, credo libenter, non multo interjecto tempore, alios exsulasse, alios morte occubuisse ; nam illa erant ultima crudelitatis exempla ab Hunerico mox morituro simul edita. Quid igitur refert utrum ante an post presbyterorum exsilium, monachorum martyrium Victor commemoraverit ? Cum enim brevitati, ut ipse fatetur, magnopere consuleret, cumque inter tot Hunerici facinora eodem tempore commissa, aliqua eligenda essent, ea quæ præcipua videbantur, nempe totius cleri carthaginiensis exsilium, peculiari cura,

(1) Vict. Vit., I, 15.

cæteris quasi in obscuro relictis, Victor explanavit. Tantum igitur, inquies, fuit Victori brevitatis studium ut vel ipsa monachorum nomina quæ in promptu erat citare, negligeret ? Respondeo, ipsius Petschenigii verbis fretus, Victorem non semper martyres nomine nuncupavisse, atque ut unum inter tot exempla sumam, Aquæ Regiæ fratrum nomina omisisse. Dices vero : vetita erant illa martyrum funera, ut ex Victore compertum habemus. Esto. Affirmabo tamen catholicos, cum nunquam Hunerico cervicem submisissent, contempto regis jussu, supremos honores monachis tam bene de christiana religione meritis, in publico reddidisse, et fortasse inde novam illos persequendi causam ab Hunerico quæsitam.

Quæ cum ita sint, cum multa inter Historiam et Passionem discrepantia Petschenigius invenerit, illustrare aggrediar ea quibus hæc opuscula strictissime inter se cohærere mihi videntur.

In Passionis initio de famoso illo Cyrila quæstio est qui ita Hunerico utitur ut debilem regis animum *subvertat et obtineat* (Passio, 2). Cum his quæ dicuntur de illo Arianorum episcopo confer hæc quæ lego in Victoris Historia (III, 42) : ... *Illo tempore* (sub fine regni Hunerici) *crudelius Arianorum episcopi... cum rege et Vandalis sæviebant. Nam ad persequendum ipsi cum suis clericis ubique gladiis accincti currebant.*

Magis ac magis enim Hunericus Arianis tunc

præpollentibus aurem præbebat, quod videre est in illis Passionis locis qui ultimam persecutionem qua catholici vexati sunt breviter et summatim complectuntur (Passio, 4, 5, 6). Hoc in fine Historiæ his verbis illustratur : ... *Erat quidem generalis ista violentia tyrannorum* (III, 47). Non minus congruunt quæ a Victore passim et in Passione dicuntur de Vandalis catholicos promissis honoribus et variis blanditiis aggredientibus ut arianam religionem, spreto Christi cultu, amplecterentur (Passio, 8). Cf. Vict., I, 47, 48 ; III, 27. — Idem dicam de corruptis pecunia carcerum custodibus (Passio, 9) : « ... *Dato munere* carcerariis, die ac nocte Christi martyres frequentabat. » Cf. Victor., II, 32 : ... « *Data ingentia munera* Mauris... admissi sumus intrare. »

Venio ad monachorum supplicium quos in navibus Hunericus jussit necari (Passio, 15-20). Jam Gensericus hoc suppliciorum genere usus erat. At, cum minus crudelis esset, presbyteros *nudos et expoliatos* tantum in navibus fractis, ventorum et maris ludibrio permitti jusserat ; qui tamen, contra spem regis, Neapolim prospera navigatione pervenerunt (Vict., I, 15).

Quod si rerum dispositionem in utroque opusculo observes, eumdem scribendi morem invenies. Passionis auctor non minus longus quam Victor in narrationibus, non minus otiosus in exponendis rebus tibi videbitur. Eadem verba usurpantur *tunc, quid plura ?* ut de alia re ad aliam auctor transeat. Denique, Victor et Passionis auctor eodem in Vandalos

odio flagrantur, quod videre est in orationibus (Cf. Vict., III, 28 ; Pass., 8), iisdemque fere concitatis verbis Hunericum infamem faciunt.

Verum ex latinitatis cognatione maximi ponderis argumentum expromam. Quæ inter Historiæ et Passionis stylum qualis fuerit facile indicabitur sequentibus exemplis :

a) Vocabulorum similitudo :

Victor, I, 1 : *Sexagesimus nunc... agitur annus* ; Passio, 2 : *Septimus agebatur annus.* — Vict., III, 63 : *Serpentina proles* ; Passio, 3 : *Serpentinam suggestionem.* — Victor, I, 22 : *Exsilio trudebatur ;* Pass. 4 : *Exsilio crudeli detrusit.* — Victor, I, 12 : *Impietatis insaniæ ;* Passio, 4 : *Crescente impietatis insania.* — Victor, III, 27 : *Ad modicum* gloriari ; Passio, 8 : *Ad modicum* sufferre supplicia. — Victor, II, 43 ; III, 27, 51 : *Mandare* = jubere ; Passio, 5 : Ecclesias *claudi mandavit.* — Victor, I, 35 : *Gentili regi Maurorum ;* Passio, 5 : *Gentilibus Mauris.* — Victor, II, 26 : *Fluminibus lacrimarum* ; Passio, 5 : *Flumina lacrimarum.* — Victor, I, 5, 7 ; III, 24, 28 : *Quanti* = quod ; Passio, 6 : *Quanti nobiles* et optimi viri. — Victor, II, 10 ; III, 55, 57 : *Cespes* = *fundus ;* Passio, 6 : Lati *cespitis* domini. — Victor, I, 35, 48, 50 ; II, 23 ; III, 2, 15, 16, 53, 63 : *Substantia* = *bona*, Graec. οὐσία ; Passio, 6 : Corpus cum *substantia* tradiderunt. — Victor, III, 15 : *Edicta feralia ;* Passio, 6 : *Edicta feralia.* — Victor, I, 9, 15 ; II, 16, 37 ; III, 19 : *Mancipare* = tradere ; Passio, 9 : Jussi sunt carcerali custodiæ *mancipari.* — Victor, II, 30 : *Festinant ad coronas* (= ad martyrium) ; Passio, 12 : *Festinant ad mortem.* — Victor, I, 49 : *Illecebrosa* poma ; Passio, 6 : *Illecebrosam* semitam.

b) Comparativi et superlativi similiter usurpati.

Victor, I, 24 ; II, 31, 52, 76 ; III, 7 ; Passio, 4 : *Longinquis* et *extremis*, 6 : *Nobiles* et *optimi ; delicatæ* et *nobilissimæ.*

c) Adjectiva adverbii loco posita :

Victor, I, 12, 14, 29, 47 ; II, 30. Passio, 4 : ***Crudelissimus*** imperavit ; 9 : *Facilia* subponerent colla.

d) Adjectiva synonyma :

Victor, I, 1 ; II, 6, 8, 12, 14, 15, 17, 36 ; III, 44, 56. Passio, 4 : ***Copiosissimam et maximam turbam ;*** 5 : ***Integer et plenus affectus ;*** 6 : ***Ampli et lati*** cespitis.

e) Adjectiva in locum substantivi genetivi posita :

Victor, III, 50 : *Auctoritate uxoria,* III, 20 : ***Navibus*** *dominicis.* Passio, 7 : ***Dominicæ*** servitutis, 10 : ***Tyrannicas*** pervenit ad aures.

f) Verba :

Victor III, 28 : ***Adigite suppliciis.*** Passio, 10 : ***Suppliciis*** *adigi.* — Victor, I, 27 ; III, 6, 20, 37, 43, 63 : ***Velle*** pleonastice positum (*voluit liberare* = ***liberavit,*** I, 27). Passio, 8 : Serpens ***voluit sibilare ;*** 13 : Nos dominus ***voluit*** *congregare.* — Victor, I, 15 : ***Dignari*** (pleonastice positum)... Dominus Neapolim ***perducere dignatus est.*** — Passio, 13 : ... Dominus ***dignabitur*** omnes... coronare.

g) Præpositiones :

In :

Victor, I, 15 : ... Transmarina *in parte* projecit. Passio, 4 : *In longinquis et extremis regionibus...* detrusit. — Victor, II, 4 : ... Qui *in Constantinopolim* sunt. Passio 10 : *in medium pelagus* concremari.

De :

Victor, III, 5 : ***De*** toto orbe pontificibus. Cf. I, 30 ; *Notit. Prov. Procons.* N. 29, 31, 51, etc. — Passio, 7 : ***De*** territorio Capsensis civitatis.

Ad :

Victor, III, 53, 60 ; Passio, 8 : *Ad urbem* Carthaginem attracti. — Victor, III, 27 : *Ad* quod (= quo) tyrannus excitatus ; Passio, 15 : *Ad* quod miraculi genus (= quo) tyrannus expavit.

h) Elocutionis figuræ :

Victor, I, 49 ; III, 17, 26 : ***Serpens*** = diabolus. Passio

3 : *Anguis* = diabolus ; 8 : *Serpens* = diabolus. Victor, III, 71 : *Ebulliens vermibus* (Hunericus). Passio, 2 : *Scatens vermibus* (idem). Victor, III, 47 : *Fallacis aquæ gladio* peremissent. Passio, 3 : ... *Rebaptizationis sauciare machæra*. Victor, 1, 6 : *Ira furoris*. Passio, 10 : Ebrietate *furoris*.

i) 1o Sententiæ prave constructæ :

Victor, II, 48 : *Qui*... surgere noluit *cæcus;* III, 1 : *Qui* cum noster *libellus* legeretur oblatus. Passio, 14 : *Qui* dum *ignis* fuisset injectus.

2o Participium absolutum :

Victor, I, 2, 3, 25 ; II, 32, etc. (vide exempla multa in *Commentatione* (p. 147). Passio, 7 : *Qui attracti*, primo *eis* serpens voluit sibilare.

3o Sententiæ quarum constructio non potest explicari :

Victor, II, 52 ; III, 50, 54 (Vid. *Comment.*, p. 149). Passio, 11 : *Eductisque illis* de custodia multitudo populi Dei *bellatores* trinitates quasi agnos innocuos ad victimam deducebant.

Tot exempla in illo brevissimo opusculo collecta et cum Historiæ stylo conferenda arctæ propinquitatis indicia sunt. Quanto arctior hæc videretur, si non opusculum sed ampliorem librum Passionis auctor composuisset !

Cum igitur illa styli propinquitas ea sit ut Passionem legens Victorem ipsum legere sæpissime credas, cum præterea quæ enarrantur in Passione rebus in Historia enarratis non repugnent, pauca obstant quominus credamus Passionem Victori ut vero auctori posse attribui.

FINIS

Vidi ac perlegi :

Tolosæ, ante diem XVII kalendas februarias anni MDCCCXCVIII.

Facultatis Litterarum in Universitate Tolosana Decanus,

ANTOINE BENOIST.

Typis mandetur :

Academiæ Tolosanæ Rector, Concilii Universitatis Præses,

PERROUD.

CORRIGENDA

Pag. 29,	linea 15 :	pro *Africam venit,*	lege	*in Africam venit.*
— 46,	— 15	— *malent,*	—	*mallent.*
— 80,	— 13	— *Carthagine,*	—	*Carthagini.*
— 124,	— 11	— εναλλάγαι	—	ἐναλλαγαί.

INDEX RERUM

Albiæ, typis mandavit H. AMALRIC, via dicta Hôtel-de-Ville, 14 (1898—558)